QVAESTIONES CRITICAE

DE

ACRONIS ET PORPHYRIONIS

COMMENTARIIS HORATIANIS

SCRIPSIT

ET

NOVAE ILLORVM SCHOLIASTARVM EDITIONIS SPECIMEN

ADIECIT

FRANCISCVS PAVLY

PHIL. DR. GYMNASII ACADEMICI PRAGENSIS PROFESSOR.

PRAGAE

SVMPTIBVS FORMIS ET CHARTA C. BELLMANNI

A. CIƆIƆCCCLVIII

PRAEFATIO

Harum Quaestionum capita duo cum nuperrime annalibus Gymnasii Academici Pragensis mandarem aliis negotiis grauissimis quo minus tertium de Commentatore Cruquiano adderem prohibitus promisi propediem illud quoque publici me iuris esse facturum. Quod quidem promissum nunc ita persolui ut duo illa priora capita iterum prelis subicienda curarem tertioque addito simul specimen nouae meae scholiastarum editionis proponerem. Quod multis haud ingratum fecisse mihi uideor. Multo enim et facilius et celerius ei quibus haec studia cordi sunt huius libelli quam annalium nostrorum copiam sibi fecerint.

Dabam Pragae VIII. Kal. Aug. a. CIƆIƆCCCLVIII

Diu multorum desiderio efflagitatum est ut tandem aliquando Acronis et Porphyrionis scholia Horatiana post tria saecula, hoc est, post GFabricii curam (Basileae M.D.LV) emendatius ederentur; nam a quo post illum denuo publici iuris facta sunt Braunhardus de eo incertum habeo pudeat magis an pigeat disserere. Eius enim editio ita comparata est ut, quae est nostra aetate studiorum philologorum ratio, uix ac ne uix quidem quemquam deceat ad illam prouocare. Fabriciana autem adeo rara est facta ut nisi magno aere iam non possit parari; quin etiam id adfirmare possum permultis et uiris doctis et bibliothecis publicis quamuis eo per annos niterentur hunc usque in diem non contigisse ut libri Fabriciani copiam sibi facerent. Quam libri raritatem (ut de aliis taceam) iam abhinc plus quadraginta annos (M.DCCC.XV) questus est Mitscherlichius praef. p. XLV ubi: '*editio*', inquit, '*inter praestantissimas sed et rarissimas numeranda.*'

Quod ut ita sit tres in primis res in causa fuere. Atque primum quidem miserrima illorum scholiorum conditio, quade iuuat eiusdem Fabricii uerba ex epistula editioni praemissa huc transcribere: '*Herculem*', inquit, '*ferunt et Augiae stabulum purgasse et cum Antaeo esse luctatum magno labore et periculoso certamine; non minus ego negotii ac molestiae (si magnis parua militaribus scholastica conferre licet) in purgandis a situ ac sordibus interpretibus Horatianis consumpsi. Sed dum ueluti Augiae intentus et amissa instauro et corrupta emendo et dissipata colligo quasi cum Antaeo simul luctandum est quem*

nec satis in altum ualeo attollere neque ut terram attingat dimittere audeo; nam nec integro uoto in singulis restituendis potiri potui neque tamen quantum possem et licebat officio deesse uolui'; deinde subsidiorum criticorum ad ea ab innumeris etiam post insignem Chemnicensis laborem sordibus uitiisque emaculanda adcommodatorum cum summa inopia tum mala plerumque conditio et uel minimum pretium; denique (id quod etiam ab aliis scriptoribus manum emendatricem in litterarum nostrarum damnum iusto diutius retinuit) uana quorundam uirorum doctorum promissa cotannis, ne dicam cotidie, et quauis occasione arrepta uociferantium et clamitantium se scholiorum nouam editionem moliri et quidem instructos munitosque optimis et maximam partem nondum cognitis subsidiis criticis undique aut diuturnis per Europam itineribus aut alia quacumque uia conlectis. Inter quos principem locum obtinet is qui, ni egregie fallor, ante hos fere triginta annos nouam editionem pollicitus est; quod ubi Suringarius V. Cl. (ut de aliis taceam) anno M.DCCC.XXXV comperit suum denuo scholiorum edendorum consilium sibi abiciendum esse putauit; nam Historia critica scholl. latt. III p. 2. in adnot.: '*Ego ipse,* inquit, *iam aliquot annos nouam horum scholiastarum editionem molitus in eamque rem non contemnenda subsidia nactus sum ignorans id quod nuper ex Orellii Epist. crit. ad Madvigium p. LV didici: F. Hauthalium uirum doctissimum et accuratissimum collatis permultis codicibus Acronem et Porphyrionem emendandos sibi proposuisse. Huius igitur opera si peritiorum desiderio satis faciat ego meum laborem supprimam. At uero Orellii commendatio uix sinit dubitare quin Hauthalius peritiori manu telam suam texturus sit quam Gu. Braunhardus e. q. s.*' Vtinam Suringarius de Hauthalii molimine minime sollicitus fuisset; quod si fecisset hodie iam non scholiorum meliori editione careremus.

Quae ex quo ita se habere uidi illico et ipse, quippe studiis Horatianis iam diu deditus et 'totus in illis', consilium cepi, dum modo adparatus librorum ne deesset, summo et meo desiderio et omnium antiquitatis Romanae et in primis

musae Venusinae amicorum pro uirili parte satis faciendi. At diu spes me fefellit; et iam in eo eram, ut Fabricii textum quem uocant iterum prelis subicienda curare uellem partim ex Commentatore Cruquiano alias e coniectura emendatum, cum quod uixdum sperare ausus eram, intercedente *L. Langio* uiro doctissimo et mihi amicissimo minime contemnenda subsidia ad me delata sunt: duo scilicet codices manuscripti alter Acronis Porphyrionis alter et praeter editionem Fabricianam editio Porphyrionis Patauina a. M.CCCC.LXXXI et Mediolana a. M.CCCC.LXXXVI continens Horati poemata cum scholiis Acronis et Porphyrionis.

Quibus quidem subsidiis instructus satius duxi noua scholiorum recognitione quid possem temptare quam pati etiam diutius et me et alios uana spe decipi. Probe quidem scio fore qui tantum laborem tam exiguis paucisque subsidiis aut omnino non fuisse suscipiendum clamitent aut certe a uiro in talibus rebus multo uersatiore et qui quidquid fontium inopia denegarent suo ingenio quodam modo reparare potuerit; me uero parum cogitasse quid 'ualeant humeri quid ferre recusent.' Vt de his non sollicitus timore abiecto opus quamuis 'plenum periculosae aleae tractarem' auctores et suasores mihi extitere uiri grauissimi spe data alios sat multos fore, qui operam meam modeste scholiis oblatam gratiore quam seueriore animo accepturi et quod incohauissem tantum opus cui pro seuerissima notrae aetatis ratione perficiendo minime parem et ipse me sensissem non solum non reprehensuri sed etiam conlaudaturi essent. His igitur aliisque aequis iudicibus si non nihil ad scholia tam diu magno cum litterarum damno neglecta in pristinum statum reducenda attulisse uidebor aliosque aut maiore ingenii acumine aut melioribus subsidiis instructos uiros incitauero 'unitis uiribus' ut opus a me incohatum perficiant, uberrimum laboris fructum rettulero.

Haec autem pagellae nihil aliud esse uolunt nisi quasi prodromus quidam nouae nostrae scholiastarum editionis et

continebunt copiosiorem subsidiorum descriptionem quam quae praefationi operis inseri posse uideretur et emendationum specimina.

CAPVT I.

CODICVM ergo quibus uti per liberalitatem V. Cl. *A. Bethmanni,* praefecti bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae licuit et quos etiam CKirchner ad nouam Sermonum editionem contulit (cfr. eiusdem 'indices librorum msctorum et editorum' p. XXV et XXVI) alter est:

PORPHYRIONIS cod. miscr. bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae sign. Gud. 85. fol. min. membranaceus saec. XIII (Kirchner eundem male, ut mihi uidetur, ad saec. XIIII rettulit, quode infra plura addentur). Continet autem Porphyrionis commentarios in Carminum libros IIII, in Artem poeticam, Carmen saeculare, Epodos, Sermonum libros I et II, Epistularum libros I et II; lacunam tamen habet inde a Carm. II 12 usque ad C. III 8. In prima pagina praemittitur uita Horati quam integram infra ascripsi:

'Quintus Horatius Flaccus poeta lyricus libertino patre natus patria aenusia ortus. dubium apulus an lucanus ut ipse confitetur: nam uenusinus arat finem sub utrumque colonus (Serm. II 1, 35). Puer admodum romam cum parente migrauit ut ipse dicit: romae enutriri[1*] mihi contigit atq: doceri. (Epist. II 2, 41). Quem cum pater misisset in ludum litterarium paucissimis eruditus impensis angustias patris uicit ingenio. Athenas petiit iuuenis & ibi interpellantibus sese ciuilibus bellis bruti secutus est partes. A quo militiae tribunatu[2*] honoratus non ut ceteri in par-

1* nutriri *omnes Horati codices*

2* *a prima m. fuisse uidetur* tribunatui *et paulo post* uictus

tibus uicti*s perseuerauit. Sed cum carmini incumberet captus a Caesare & post magnum tempus beneficio maecenatis non solum seruatus sed & caesari in amicitiam traditus. Vnde in honorem maecenatis quaedam scripsit ut: maecenas atauis edite regibus. & beniuolentiam caesaris carmine prosecutus ut est illud: Neu sinas medos agitare[1*] inultos te duce caesar (Carm. I 2, 51). Scripsit lyrica carmina auctorem secutus Alcaeum quem in opere suo ita iactat: Aeolium carmen ad italos deduxisse modos (Carm. III 30, 13), artis poeticae unum, epodon unum, epistolarum duos, sermonum duos Lucilium secutus antiquissimum scriptorem cuius ita meminit dicendo: Lucili ritum[2*] nostrum melioris utroq: (Serm. II 1, 29) & saeculare carmen quod celebratum publicis uotis. Felix futurum posterius omen.'[3*]

Constat autem codex ex foliis CII 'membranae candidae et leuigatae' et perquam pure et nitide scriptus est, et ita quidem ut in quauis pagina adpareant uersus XXXIII. Compendia scripturae haud multa habet: p̱ = per, q: = que, ꝝ = rum, ā = am similia; sed ne his quidem compendiis qui codicem scripsit semper et ubique usus est sed non rarius immo saepius plena scribendi ratione. Plura de his similibusue interim in fine huius de Porphyrionis codice quaestionis addidimus.

De auctoritate uero et pretio codicis CKirchner l. l.: '*Lectio*', inquit, '*Fabricii textum in editione Basileensi a. MDLV saepe supplet et corrigit, in Satiris praecipue bona minus in Epistolis. Nos totum librum exscripsimus ut textum aliquando emendatiorem exhibeamus.*' Et profecto uirum praematura morte litteris nostris ereptum sententia non fefellit. Fere enim innumeris locis quae huc usque circumferebantur scripturae cor-

1* *pro* agitare *Horati codd. omnes* equitare 2* ritu *Horati codd. omnes*
3* *Hanc eandem uitam primus exhibuit Fea praef. p. XXXVIII e codd. Vaticanis Ottobon. duobus saec. XV et e Chisiano. Cfr. Kirchneri nou. quaestt. p. 44*

ruptae et falsae nec raro nullam sententiam habentes codicis auxilio emendantur; idem in scholiorum lemmatis (quae, ut hoc in transitu moneam, sexcenties ampliora editionibus habet) plerumque cum optimis codicibus Horatianis congruit, haud raro tamen etiam nouas et si non ubique ueras at certe memoratu dignissimas scripturas exhibet; quod uero hisce omnibus grauius uidetur esse hoc est, quod eiusdem beneficio permagna lacunarum copia, quae in editionibus legentem morantur modo maiores modo minores, feliciter explentur.

Atque iuuat quae supra dixi paucis exemplis comprobare. Principem igitur locum obtineant lacunae ex codice explendae, in quibus adferendis commentariorum ad Carminum libros fines non excedam.

C. I 8, 4: *patiens pulueris atque solis.* Sit aut fuerit *FABR.*
cur apricum oderit campum patiens. Cur oderit campum qui alioqui patiens pulueris atque solis sit aut fuerit *COD.*

ibid. 11: *saepe disco s. t. f. iaculo.* Nobilis ad excipiendum trans finem disco expedito nobilis saepe iaculo e. q. s. *FABR.*
saepe d. s. t. f. iaculo nobilis. Ex his bis [1*] accipiendum 'trans finem expedito', ut sit: saepe disco trans finem expedito [saepe] [2*] nobilis saepe iaculo e. q. s. *COD.*

I 11, 6: *et spatio breui s. l. reseces.* Cum spatium uitae breue sit e. q. s. *FABR.*
et sp. br. s. l. res. Grate; id est cum spatium uitae e. q. s. *COD.*

I 14, 10: *quos iterum pressa uoces malo.* Ἀμφιβολία *FABR.*
quos i. p. u. malo. Non iterum pressa sed iterum uoces malo pressa; ἀμφιβόλως *COD.*

I 16, 10: *nec mare naufragum.* Vt: Nauifragum Scyllacaeum e. q. s. *FABR.*

1* bis *ipsi addidimus; poteramus etiam corrigere* Est bis acc. 2* saepe *in cod. male bis positum uncis inclusimus*

nec mare n. Aliter mare naufragum aliter homo naufragus dicitur; mare enim facit naufragium quasi nauifragium, ut: Nauifragum Scyl. *COD.*

ibid. 17: *irae Thyesten exitio graui.* Iam hoc ἀπὸ παραδείγματος infert quam sit atrox ira e. q. s. *FABR.*

irae Th. ex. gr. Iam hoc ἀπὸ παραδείγματος infert probans quam sit atrox ira e. q. s. *COD.*

I 20, 10: *mea nec falernae t. u. neq. formiani.* Per quod significat nec falernum uinum se habere quod ei in cena exhibeat e. q. s. *FABR.*

mea n. f. t. u. n. f. Ordo est: mea pocula nec falernae uites temperant nec formiani colles. Per quod significat e. q. s. *COD.*

I 25, 1: *Parcius iunctas q. f.* Haec ode in meretricem rapacem etc. scripta est. *Iunctas* autem fenestras occlusas e. q. s. *FABR.*

Parcius i. q. f. Haec ode etc. scripta est. Sensus autem: iuuenes qui olim frequentius fenestras tuas lapidibus incessabant ut excitata somno ianuas aperires iam te neglegere incipiunt et idcirco haec rarius faciunt. *Iunctas* autem fenestras obclausas e. q. s. *COD.*

ibid. 17: *laeta quod pubes h. u. g. p. m. a. myrto.* Per allegoriam hoc significat iuuenculos iuniores mulierculas quaerere e. q. s. *FABR.*

laeta quod p. — myrto. Ordo est: Laeta quod[1*] pubes hedera magis gaudeat et pulla myrto; quod per allegoriam hoc significat e. q. s. *COD.*

I 31, 12: *uina syra rep. merce.* Quasi commutata uina syra meree similibus esse solet (!?) *FABR.*

uina syra rep. merce. Quasi commutata uina syra merce. Syram autem mercem pretiosissimam accipe quae scilicet in purpura et pipere et unguentis aliisque similibus esse solet *COD.*

1* laetaq: *cod. pro* laeta q: *i. e.* laeta quod

I 37, 13: *sed minuit f. u. u. n. s. a. i.* Vna nauis qua scilicet effugit uicta ab Augusto; secundum unam nauem dictum accipe (!?) *FABR.*

sed minuit — *i.* Vna nauis qua scilicet effugit uicta ab Augusto; sed unam nauem ὑπερβολικῶς dictum accipe *COD.*

II 1, 28: *rettulit inferias Iugurthae.* Nunc latius intelligit omnibus *FABR.*

rett. i. I. Nunc latius intellege id est, Afris omnibus *COD.*

II 4, 13: *nescias an te g. b. Ph. fl. d. p.* Posse autem fieri ait ut et haec regii generis sit e. q. s. *FABR.*

nescias an te g. b. Ph. fl. d. p. Breuiter et decenter anthypophorae occurrit. Nam cum Briseidem Tecmessam et Cassandram quae scilicet regiae puellae fuerant in exemplum Phyllidis attulisset necessario subiecit: *nescias an te g. b. Ph. fl. d. p.* Posse autem fieri ait ut et haec regii generis sit e. q. s. *COD.*

II 5, 6: *nunc fluuiis grauem solantis aestum.* Quod significat refrigerantis e. q. s. *FABR.*

nunc fl. gr. s. ae. Elegantius dici non potest quam dicitur '*fluuiis grauem solantis aestum*', quod significat refrigerantis e. q. s. *COD.*

ibid. 7: *nunc in udo l. c. u. salino.* Dicendo uitulis intelligi uult cum pueris *FABR.*

nunc — *salino.* Iucunde perseuerat in allegoria '*cum uitulis*' dicendo intellegi uolens cum pueris *COD.*

ibid. 13: *currit enim f.* — *annos.* Hic pro uiribus ac florem aetatis accipe e. q. s. *FABR.*

currit enim f. — *annos.* Mira conceptio in eo quod est '*illi annos apponet quos tibi dempserit*'; sed annos hic pro uiribus ac florem aetatis accipe e. q. s. *COD.*

II 10, 13: *sperat infestis metuit secundis a. s.* Quod est aduersum (!?) *FABR.*

sperat i. m. s. alt. s. Qui prudenter sapit et in aduersis meliora sperat et cum prosperis rebus utitur contraria illis i. e. aduersa metuit. *Metuit secundis alteram* sortem i. e. contrariam secundis quod est aduersam *COD.*

III 8, 25: *neglegens n. q. p. l.* 'Neglegens' nunc pro securo positum est ut e contrario Vergilius 'securus' pro 'neglegente' posuit: 'securus amorum germanae' (Aen. I, 350) *COD.* (In FABR. haec omnino desunt)

III 19, I: *Quantum distat ab Inacho.* Telephum adolescentem alloquitur quia quae pertinent ad conuiuii praesentis apparatus non narraret. Deinde e. q. s. *FABR.*

Quantum distet ab I. Telephum adulescentem adloquitur iocose eum corripiens quod historias non ad se pertinentes potius loquatur quam quae pertineant ad conuiuii praesentis apparatus. Deinde e. q. s. *COD.*

ibid. 27: *tempestiua petit Chloe.* Id est, matura rebus uenereis *FABR.*

tempestiua p. Ch. Quid est *tempestiua?* Vtrum non importuna ac non incommoda an uero tempestiua i. e.[1*] matura rebus ueneriis? *COD.*

III 20, 15: *qualis aut Nireus.* Nirei pulchritudinem et Homerus praedicauit *FABR.*

qualis a. N. Nirei pulchritudinem et Homerus praedicauit, cum ait: *Νιρεύς τε ὁ κάλλιστος ἀνὴρ ὑπ' Ἴλιον ἦλθεν*[2*] (Iliad. β 673). *COD.*

ibid. 16: *aquosa raptus ab Ida.* Ganymedem significat *COD.* (In *FABR.* hoc scholion deest.)

III 27, 40: *ludit.* Id est pro somno *FABR.*

ludit imago. Pro somnio dicitur. Et est sensus: 'sine uitio sum et hoc potius somnio *COD.*

III 29, 57: *non est meum — procellis* ...... quia nec periculo nec tempestati quaestus causa me committo *FABR.*

1* *fort. pro* i. e. *scrib.* idem ac   2* *Graeca quae supra posuimus a recentiori manu in spatium pr. m. uacuum relictum scripta sunt*

non — procellis ...... quia nec periculis me quaestus causa committo nec plura quam habeo desidero *COD.*

IIII 2, 50: *non semel dicemus io Tr.* Nota figura est, ut: 'Pars in frusta secant' (Aen. I 212) *FABR.*

non semel d. io Tr. Nota figura est, ut: 'Pars in frusta secant' et: ωc φαcανΗ πλιθυc[1*] (lege: ὥς φάσαν ἡ πληθύς Hom. Il. β 278) hoc est, ut dicebant plures *COD.*

IIII 8, 9: *sed non haec uis mihi.* Sensus est: nec enim largiri pretiosa possum nec si possem tu ea desideras quia carmina tibi diuitiis praeponenda sunt *FABR.*

sed non haec mihi uis. Diuitiarum. — *nec tibi talium res est aut a. d. egens.* Sensus est: nec ego haec largiri possum nec si possem tu ea desiderares quia carmina tibi diuitiis omnibus gratiora sunt *COD.*

IIII 13, 6: *ille uirentis.* Cupido scilicet. Ob multa autem decoram esse Chiam uult intellegi quod uirenti aetate sit et docta sit et ideo Cupidinem ipsum in genis eius dixit excubare *FABR.*

ille uirentis et d. ps. ch. p. e. i. g. Cupido scilicet. Ob multa — intellegi quod et uirenti aetate sit et docta sit psallere et quod genis ac per hoc oculis pulchris sit et ideo cupidinem in ipsis genis eius dixit excubare *COD.*

Atque haec pauca quae nec anxie conlegi nec elegi curiosius sed ut fortuna ferebat exemplo sunto quot locis codicis beneficio Porphyrionis uerba pleniora reducantur. Multo etiam maior est *lacunarum* numerus in commentariis ad Sermones. Harum autem lacunarum quae codicis ope explentur fontem et causam repperisse nobis uidemur duplicem in primis: aut

1* *hic graeca ab eadem manu scripta sunt quae codicem scripsit; quod ubi factum est (est autem saepissime) ubique antiqua orthographia nec accentus ullus nec spiritus occurrit; quare ut in codice repperimus exprimenda curauimus*

enim loci ex graecis scriptoribus sumpti exciderunt suaque ruina etiam latina uerba traxerunt (quod idem hic illic uel in codice nostro factum est quamquam longe plurimis locis a recentiori manu Graeca in spatium a prima manu uacuum relictum addita sunt) aut oculis aberrantibus peccatum est. Vtriusque fontis lacunas in exemplis supra congestis quiuis uel me non disertis uerbis monente facillime reppererit.

At non minus codicis ope adiuuamur in singulorum uerborum emendatione; quo ut ex exemplis p. V VI conlocatis non nulla simul pertinent ita et horum quae secuntur aliquot etiam in illorum numero poni poterant. Huius quoque generis infra pauca addere uisum est et quidem, ut iterum artioribus me finibus continerem, ex commentariis ad Carm. lib. IIII et ad Epodon librum delibata.

C. IIII 1, 1: *Intermissa Venus diu.* Post consummatos editosque tres carminum libros maximo interuallo hunc librum quartum scribere compulsus esse dicitur ab Aug., ut Neroni eius priuigno uictoriam de Rhaetis Vindelicis quaesitam illustraret quae hoc libro continetur quae sic incipit: 'Qualem ministrum e. q. s.' *FABR.*

Int. V. d. P. c. e. tr. c. l. m. i. hunc quartum s. c. e. d. ab Aug. ut Neronis priuigni eius uictoriam d. R. uindeliciisq. ill.; quae in hoc libro eadem [ode] continentur [1*] quae sic inc. e. q. s. *COD.*

ibid. 5. 6: *flectere mollibus i. d. i.* Mollibus durum opposuit. Mollia autem Veneris imperia dicit quasi ludicra ac delicata sint, se autem durum, aut quasi iam indomabilem propter aetatem; nam et hoc translatiue dicitur a pecoribus quae cum iam aetate dura, ad iuga ac frena adhibentur perdomari non possunt *FABR.*

flectere m. d. *'Αντίθετον;* mollibus enim durum opposuit; Mollia autem — sint, se autem durum ait quasi

1* quae in hoc libro eadem continentur quae e. q. s. *cod. Nos* ode *addidimus*

iam i. p. aet. nam et hoc — quae, cum iam aetate[1*] duris iuga ac frena adh., p. n. p. *COD.*

IIII 2, 2: *Iule caeratis o. Daed. nit. pennis.* Id est, altiora quam possit expedire conatus dicere, quemadmodum Icarus maiora aggressus facere pennis Daedali manibus factis *FABR.*

Iule — pennis. Id est, alt. q. p. expedire conatus decipietur quemadmodum Icarus Daedali manibus factis pennis *COD.*

2, 10: *seu per audaces noua dithyrambos.* Vt plurimum sibi hic Pindarus permittat, nam et maximo spiritu nouas historias hoc metro canit; noua autem uerba admirabilia ut ab ipsa Pindaro facta esse accipe *FABR.*

seu — dithyr. Ait quid[2*] plurimum sibi Pindarus hic permittat; nam — canit; 'noua' autem uerba aut admirabilia aut ab ipso Pindaro f. esse accipe *COD.*

IIII 4, 27: *quid Aug. pat. i. p. a. N.* Duo fuerant Nerones priuigni Augusti. Quorum alterum in domo Tiberii Claudii mariti prioris Liuia peperit alterum utero ad Aug. attulit. Horum alter in Germania morbo extinctus alter adoptatus ab Aug. successor principatus eius fuit uocatusque est Tib. Caes. *FABR.*

quid — N. Duo — attulit. Horum altero i. G. m. extincto, a. a. A. s. principatus ei fuit uocitatusque est T. C. *COD.*

51: *sectamur ultro.* Sectamur quos bello petimus Romanos quorum manus si effugerimus gaudere debemus, similesque in hoc sumus ceruis qui ultro lupos insectantur quos alioquin fugere debebant *FABR.*

sectemur u. q. o. f. e. eff. e. tr. Vltro inquit bello petimus Romanos, q. m. s. eff. g. d. s. i. h. s. c. qui ultro l. insectentur quos alioqui fugere debeant *COD.*

6, 31: *uirginum p. p. c. p. orti D. t. d. f.* Id est qui estis tutela Deliae deae hoc est, σχῆμα ἐπεξήγησις *FABR.*

1* aetatis *cod.* aetate *corr.* 2* *aut* ait quid *recte se habet aut scribendum:* 'Audaces' ait quod e. q. s.

uirginum — f. Id est q. e. in tutela D. d. hoc est Dianae; *σχῆμα* est *ἐπεξήγησις* *COD.*

Epod. I 5: *quid nos quibus te uita sit sup. iucunda s. c. gr.* Bis posuit periculum si semel abundat; melius enim sic loqueretur: quibus te superstite uita iucunda est si contra grauis est; ergo uerbum extrinsecus accipiendum ex eo sit ut plena fiat oratio *FABR.*

quid n. q. t. u. si sup. iocunda si c. g. Bis posuit particulam '*si,*' sed semel abundat; melius enim — iucunda est, si contra sit grauis est; ergo uerbum extrinsecus bis accipiendum *COD.*

I 19: *ut assidens implumibus pullis a. serp. allapsus timet.* Attende elocutionem 'illis timet' per datiuum casum non 'pro illis timet.' Sic Terentius etc. *FABR.*

ut ass. inpl. p. a. s. adlapsus t. Attende elocutionem 'illis timet' non 'illos timet.' Sic et Terentius e. q. s. *COD.*

I 34: *discinctus aut perdam ut n.* Discinctos pro negligentibus solent dicere. Nepotem autem ueteres prodigum et luxuriosum dicebant quia re uera solutiores dilicatiorisque uictus soleant esse qui sub auo nutriuntur *FBR.*

disc. a. p. ut nepos. D. p. neglegentibus solemus et nos dicere. Nepotem a. u. pr. ac lux. d. q. r. u. solutioris delicatiorisque uitae soleant esse qui sub auo nutriantur *COD.*

II 25: *queruntur in siluis oues.* Queruntur, inquit, quoniam ueteres omnium animalium uoces praeterquam hominis querelam dicebant. Virg. 'Et cantu querulae — cicadae' (Georg. III 328), et de ranis: 'Et ueterem in limo ranae cecinere querelam' (Georg. I 378), et de bobus: 'atque omne querelis Impleri nemus' (Aen. VIII 216) *FABR.*

q. i. s. o. Queruntur — dicebant. Denique et Verg.: 'Et cantu — cicadae' inquit; et de ranis: 'Et — querelam,' et de bubus: 'atque — impleuere [1*] nemus' *COD.*

1* impleuere *quod cod. habet nec mutaui nec omisi; si a Porphyr. sic*

II 55: *haec ubi locutus f. Alfius.* Vrbanissime postremo finxit haec non de sua persona dicta esse sed de cuiusdam foeneratoris, per quod uult intelligi neminem scire quid iucunditatis habeat rustica uita nec tamen quisquam ab ea in qua consueuerat potest discedere *FABR.*

haec u. l. f. Alf. Vrbanissime in postremo odae finxit haec non ex sua p. d. e. sed ex cuiusd. f.; per q. u. intellegi neminem sc. q. i. h. uita rustica nec tamen quemquam ab ea in qua consueuerit posse discedere *COD.*

II 57: *omnem relegit i. p. q. Calendis p.* Exigit, inquit, a debitoribus pecuniam comparaturus praedia cogitans iucunditatem uitae illius quam in rusticis laudat, sed rursum stimulatus cupiditate pecuniarum quaerit eam foenori dare *FABR.*

omn. redegit i. p. q. Kalendis p. Exigit[1*] — cogitans scilicet iucunditatem — laudat; sed rursus st. c. usurarum q. e. f. d. *COD.*

III 1—3: *Parentis o. s. q. i. m. s. g. f.* Execratur allium significans se grauiter uexari; 'Edat' autem dicendum potius quam 'edit', quoniam sic declinatur: 'edo es est' deinde modo optatiuo tempore futuro: 'edam edas edat' pluraliter 'edamus edatis edant.' Et 'allium' dicendum ut 'solium', 'dolium' non ut uulgo 'aleum' *FABR.*

Parcius i. siquis i. m. s. g. f. Execratur alium significans se [et][2*] grauiter uexari. 'Edit' autem d. p. q. 'edat' quia sic declinatur: 'edo es edit' deinde m. o. t. f.: 'utinam edim edis edit' pluraliter 'utinam edimus editis edint.' Et 'alium' dicendum ut 'solium' 'dolium' non ut uulgo 'aleum' *COD.*

V 79: *diris agam uos.* Dirae ut dixi execrationes dicuntur. Ac detestationis maledicta agam, aut nunc persequar signat *FABR.*

scriptum fuit memoriae lapsus fuisse uidetur; quales non adeo rara occurrunt

1* exegit *codex habet* 2* et *quod addit cod. delendum est aut aliquid excidisse statuendum*

diris a. u. Dirae — dicuntur ac detestationes saeua maledicta; 'agam' autem nunc 'persequar' significat *COD.*

VII 15: *tacent et ora pallor albus inf.* Elegans ociositas quasi his uerbis coniuncti steterint deinde conscientia sceleris palluerint *FABR*

tacent et albus ora pallor inf. Elegans otiositas q. h. u. conuicti steterint e. q. s. *COD.*

VIIII 22: *et intactas boues.* Id est indomitas. Non sic dixit quasi feminis tantum triumphantes sacrificent sed quia metro quid gratius feminino genere boues quam masculino dicuntur. Deinde ut Virg.: 'Ille meas errare boues ut cernis' (Bucol. I 9) *FABR.*

et intactus boues. Id est indomitas. Feminino autem genere boues non sic dixit quasi feminis tantum tr. s. s. quia nescio quid gr. f. g. b. q. m. d. Denique et Verg.: 'Ille — cernis et ipsum' *COD.*

Sed haec quoque hactenus; nam satis superque comprobant quod supra dixi non minus auxilii codicem ferre in singulorum uerborum emendatione quam in lacunis explendis. Hoc unum tantum addere placet, simili ratione locis fere innumeris per nostrum codicem Porphyrionis commentariis salutem uix antehac expectatam parari.

Restat igitur ut dicam de lemmatis. Sciendum igitur haec quoque in codice ita comparata esse, ut optimorum codicum Horatianorum scripturae plerumque eisdem firmentur, ita ut de multis de quibus 'adhuc sub iudice lis erat' iam confidentius iudicari posse uideatur. Interdum etiam noua quaedam largitur cognitu dignissima. Hoc quoque ut exemplis probarem exempla satis multa infra posui.

C. I 3, 20: infamis (non infames) — 21 nequiquam (*et sic ubique*) — 4, 12 agna — 6, 2 alite — 12, 31 quod si uoluere (*cum interpretatione:* 'quod uoluere pro conuoluere' [= quom uoluere]; *unde sequi uidetur non mecum et Meinekio scribendum esse* cum *s.* quom) —

15, 3 celeris (*pr. m., altera* e *supra scr.*) — 13 inbelli — 16, 22 temptauit — 20, 5 care — 24, 15 num uanae redeat — 27, 19 quanta laborabas** Charybdi (*cum trium quattuorue litt. rasura*) — 28, 1 harena — 32, 1 poscimur — 3 pluris — 7 nauem — 35, 39 diffingas (*pr. m. fuisse uidetur* defingas) retunsum — 37, 5 latentis — 38, 5 adlabores — 6 arta. —

II 2, 17: Prahates — 18 plebi — 19 inretorta — 6, 5 Argeo — 16 baca — 10, 2 urguendo (*quamquam sub altera* u *litterula puncto posito*) — 12, 14 fulgentis — 28 occupet. —

III 8, 1: Kalendis — 4 sermonis — 17 ciuilis — 25 neglegens — 9, 5 alia — 21 clarior (*pro eo quod in codd. Horatt. quod sciam omnibus est* pulchrior) — 12, 3 metuentis — 14, 6 diuis — 11 male nominatis — 21 murreum — 16, 16 inlaqueant — 18, 1 distet (*et bis quidem*) — 15 tris — 21, 1 Manlio — 23, 17 inmunis — 24, 12 inmetata — 42 obproprium — 27, 49 inpudens — 29, 32 trepidet.

IIII 4, 24 repressae (*in marg.* reuictae) — 65 mersus — 5, 6 adfulsit — 12 distinet — 13 uotique ominibus et (*pro* uotis ominibusque et *quod est in libris Horatt.; fort. cogitandum de* uotisque ominibusque et) — 6, 27 leuis Agileu — 7, 7 inmortalia — 13 crastina uitae (*pro* summae *cum cod. Bland. uetustiss. et Gothano*) — 8, 12 muneri — 9, 22 grauis — 12, 7 obprobrium — 13, 9 inportunus — 28 delapsam — 14, 28 minitatur (*bis*) — 39 adrogauit — 15, 15 ortus — 18 exiget — 19 producit enses (*cum interpretatione* 'i. e. fabricat'). —

Epod. I, 5: si superstite iocunda — 19 inplumis (*i. e.* inplumibus) — 20 adlapsus — 38 perdam ut nepos — II 57 redegit — III 3 edit cicutis alium (*cfr. quae supra p. VIII de eodem loco scripsimus*) — 17 umeris — IIII, 1 sortitio optigit (*quorum alterum falsum in Bernensi A, in Sangallensi uerum alterum est*

apud Ritterum) — V 27 exsecta — 37 inresectam — 60 laborauerint (*i. e.* laborarint) — VII 13 caecos (*ut iam Meinekius scripsit edit. alt.*) — 15 albus ora pallor — VIII 17 inlitterati — X 15 rudentis — XI 12 adplorans — XII 3 firmo iuueni — 7 quis udor (*sic!*). —

Omnibus fere locis supra congestis, et addere poteramus sexcentos, in Fabriciana minus probabiles scripturae (plerumque uulgatae quas uocant) leguntur quas singulas suis locis quiuis facile sibi ipse addiderit.

Iam finem huic de Porphyrionis codice quaestioni impositurus non possum quae de scripturae indole et orthographia dicenda uidebantur non subiungere. Plura quidem eorum iam supra memorata sunt; sed haud superuacaneum est eadem aliis aucta hic in uno conspectu componere, ut inde quid de codicis aetate statuendum sit ipse iudicare possis. Dixi supra saec. XIII mihi scriptus uideri; sed multa habet quae uel maiorem aetatem si non ipsius codicis at tamen fontis unde descriptus est prodere uidentur. Sic litterae ſ et f et supra et infra lineam paululum productae sunt quae consuetudo fuit saec. X; diphthongi ae et e frequentissimae sed etiam ę et e; ſ longum ubique s finale nusquam, quod saec. XI usurpari coepisse dicunt; ı purum semper (non í uel i); u ubique non v; r ubique non ꝛ; d ubique non ꝺ; & siglum saepe in primis in fine uocum (cuius usus uix ad saec. XII durauit); est uel ē (numquam ÷ uel ∻) con uel cō (numquam ɔ uel ꝯ).

Fontem antiquiorem et sinceriorem etiam non nulla produnt ad orthographiam spectantia. Huc pertinent quae secuntur: quur (semel) — locuntur, secuntur cum compositis ubique — cottidie cottidianus — milia baca belua sucus alium apulus — cludunt plodunt iocundus — murreum cupressus — obprobrium optulit suptilia — intellegere neglegere perpremere

Vergilius (fere ubique) — artus — umerus similia suo quaeque loco addenda.

Adsimilatio saepissime non fit in: Adclamare adcolere adfirmare adloqui adnecti adquiro adrogo adsuesco adtuli adtende — inludere inlibare inponere — inminere — submouere conligere similibus. Sed in omnibus supra scriptis non constans est et aequabilis scribendi ratio; quod idem non reticendum esse uideo de siglis adhibitis; sic *m* et *n* litterae lineola recta signantur ā ī ū, sed frequentius *am im um* similia plene scripta sunt; hoc signum ∾ hic illic pro *ur* et *er* occurrit ut: amet̃, dixit̃ = ametur, dixerit; p̱ = per, q̱b; = quibus, q: = que. Sed, ut diximus, plena scribendi ratio frequentior.

His omnibus quae supra enarraui pensitatis iterum iterumque non potui non huius codicis in emendandis commentariis Porphyrionicis pressius uestigia sequi; quod si uel ex argumentis exemplisque adlatis iure me meo fecisse uix negaueris, magis etiam nostram rationem probaueris simul ac diligentius conlata nostra editione cum Fabriciana intellexeris quot locis codicis beneficio corrupta emendauerim, dissipata et distracta conlegerim, expleuerim lacunosa.

Multo minoris pretii esse iudicandus est ACRONIS codex de quo nunc dicendum erit. Adseruatur hic quoque in bibliotheca Ducali Guelpherbytana, sign. 81, 38 mscrr. Aug. fol. chartaceus saec. XV. Continet commentarios in Carminum libros IIII, Epodos (sed deest commentarius ad Epod. XVII 53—81), Carmen saeculare, Artem poeticam, Sermonum libros I et II. Commentarius ad Epistolas deest. Folia sunt CXVI et in singulis paginis scripti sunt uersus XXXVIIII. Litteris initialibus in singulis Carminibus spatium uacuum relictum satis magnum; quod idem ita in Porphyrionis quoque codicem cadere hic addam ut recentiori manu postea adpictae sint.

Sed prius quam de hoc codice plura disseram infra ponam quae in primis duobus foliis praemissae sunt Horati uitae; quae quidem nouae non sunt sed integrae rarius[1*] typis mandatae, ita ut haud superuacaneum duxerim eas simul cum eis Editionis Mediolanae anni M.CCCC.LXXXVI (de qua infra sermo erit) uariis scripturis quae cognitu dignae uiderentur hic inserere. Altera igitur cui in Med. haec inscripta sunt: ACRONIS COMMENTATORIS EGREGII IN QVINTI HORATII FLACCI VENVSINI OPERA EXPOSITIO INCIPIT est haece:

'Horatius Flaccus libertino patre natus in Apulia cum patre in Sabinos migrauit; quem cum pater puerum Romam misisset dum litterarum (in ludum litterarum *Med.*) parcissimis eruditus impensis angustias patris uicit ingenio soluitque (coluitque *Med.*) adulescens (adol. *Med.*) Brutum sub quo tribunus militum ciuili bello militauit captusque est a Caesare, post multum (uero *add. Med.*) tempus beneficio Maecenatis non solum seruatus sed etiam in amicitiam receptus est. Quapropter Maecenati et Augusto in omnibus scriptis suis uenerabiliter fauens assurgit. Scripsit autem Carminum libros quattuor, Epodon, Carmen Saeculare, de Arte poetica librum unum Sermonum libros duos Epistolarum libros duos. Commentati sunt in illum Porphyrion Modestus Helenus et Acron omnibus melius (et Acr. omn. melius *om. Med.*)

Decem et nouem tantum uariis Horatius metrorum compositionibus odas in carmine suo posuit quarum decem in primo carminum libro tribus reliquis singulas, in epodo sex repperi (reperi *Med.*) constitutas.

Prima ergo ode monocolos est i. e. cantus unimembris; nam uersus qui asclepiadeus dicitur constat pedibus spondeo et duobus choriambis et pyrrichio siue iambo; ususque est hac metri compositione cantibus tribus; quorum primordia subnotaui: (C. I 1) *Maecenas atauis edite regibus* — (III 30) *Exegi monumentum aere perennius* — (IIII 8) *Donarem pateras grataque commodis* (—dus *Med.*)

Secunda ode dicolos est tetrastrophos i. e. cantus duobus generibus metri compositus a quarto facta replicatione; habet enim primos tres uersus similes quibus nomen est sapphicis et constat trochaeo spondeo dactylo et duobus trochaeis; quartus uero adonius dicitur qui dactylo et spondeo pedibus terminatur. Vtiturque hac metri compositione XXXVI (XXVI *Med.*) cantibus quorum primordia subnotaui: (C. I 2) *Iam satis terris niuis atque dirae* — (10) *Mercuri facunde* — (12) *Quem uirum aut heroa* — (20) *Vile potabis*

1* *Mihi quidem praeter Cruquianam edit. a. MDLXXVIIII nulla ad manus fuit*

— (22) *Integer* — (25) *Parcius iunctas quatiunt* — (30) *O Venus regina* — (32) *Poscimus* (poscimur *Med.*) *si quid* — (38) *Persicos odi* — (II 2) *Nullus argento* — (4) *Ne sit ancillae* — (6) *Septimi Gades* — (8) *Vlla si iuris* — (10) *Rectius uiues* — (16) *Otium diuos* — (III 8) *Martiis caelebs* — (11) *Mercuri nam te* — (14) *Herculis ritu* — (18) *Faune nympharum* — (20) *Non uides quanto* — (22) *Montium custos* — (27) *Impios parte* (parrhae *Med.*) — (IIII 2) *Pindarum quisquis* — (6) *Diue quem proles* — (11) *Est mihi nonum* — (18) *Phoebe siluarum.*

Tertia ode dicolos est distrophos i. e. duplici genere metri scripta a secunda facta replicatione; nam prior uersus glyconicus constat spondeo choriambo et pyrrichio siue iambo. Secundus uero uersus asclepiadeus est cuius in prima ode reddidimus rationem. Versusque in (Vsusque est *Med.*) hac metri compositione XII tantum cantibus: (C. I 3) *Sic te diua potens Cypri* — (13) *Cum tu Lydia* — (18) *Mater saeua* — (36) *Et ture et fidibus* — (III 9) *Donec gratus eram* — (15) *Vxor pauperis* — (19) *Quantum distet* — (24) *Intactis opulentior* — (25) *Quo me Bacche rapis* — (28) *Festo quid potius* — (IIII 1) *Intermissa Venus* — (3) *Quem tu Melpomene.* —

Quarta ode dicolos est distrophos; primus enim uersus qui archilochius dicitur uersus *(om. Med.)* [quia frequenter eo usus est Archilochus; dicitur et Phalerium metrum *add. Med.*] constat tetrametro heroico et tribus trochaeis; secundus uero pentimemerim *(sic ubique cod. Med.)* iambicam habet similiter et (et sim. *Med.*) tres trochaeos. Versusque (Vsusque *Med.*) est hac metri compositione semel: (I 4) *Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni trahuntque siccas machinae carinas.* —

Quinta ode tricolos est tetrastrophos i. e. tribus generibus metri scripta a quarto facta replicatione; nam primi duo uersus asclepiadei sunt, tertius pherecratius qui constat spondeo dactylo et spondeo; quartus glyconicus est. Vtiturque hac metri compositione septies (C. I 5) *Quis multa gracilis te puer in rosa* — (14) *O nauis referent* — (21) *Dianam tenerae* — (23) *Vitat inuleo* (Vitas innuleo *Med.*) — (III 7) (Quid fles *add. Med.*) *Asterie* — (13) *O fons Blandusiae* — (IIII 13) *Audiuere Lyce.* —

Sexta ode dicolos est tetrastrophos; primi enim tres uersus asclepiadei sunt, quartus glyconicus quorum iam meminimus. Versusque (Vsusque *Med.*) hac metri compositione nonies: (I 6) *Scriberis Vario* — (15) *Pastor cum traheret* — (24) *Quis desiderio* — (33) *Albi ne doleas* — (II 12) *Nolis longa ferae* — (III 10) *Extremum Tanaim* — [(16) *Inclusam Danaen* om. cod. Med.] — (IIII 5) *Diuis orte bonis* — (12) *Iam ueris comites quae mare temperant.* —

Septima ode dicolos est distrophos; nam primus heroicus est qui pedibus dactylo et spondeo indifferenter constat; sequens ex tetrapodia ultima constat heroica. Hoc metro utitur tertio (ter *Med.*): (I 7) *Laudabunt alii* — (28) *Te maris et terrae* — (Epod. XII) *Quid tibi uis mulier* —

Octaua ode dicolos est distrophos; primus enim uersus constat choriambo et bacchio uel amphibracho; secundus uero constat ex epitrito secundo

et duobus choriambis. Vtiturque hac metri compositione semel: (C. I 8) *Lydia dic per omnes.* —

Nona ode dicolos est tetrastrophos. Nam primi duo uersus qui alcaici uocantur constant pentimemeri iambica et duobus dactylis, tertius dimeter est iambicus hypercatalecticus quartus uero logaoedicus (lagoe dictus *cod. Med.*) est qui fit ex duobus dactylis et duobus trochaeis. Vtiturque hoc metro tricesies quattuor (quater *Med.*): (C. I 9) *Vides ut alta* — (16) *O matre pulchra* — (17) *Velox amoenum* — (26) *Musis amicus* — (27) *Natis in usum* — [(29) *Icci beatis* om. cod. Med.] — (31) *Quid dedicatum* — (34) *Parcus deorum* — (35) *O diua gratum* — (37) *Nunc est bibendum* — (II 1) *Motum ex Metello* — (3) *Aequam memento* — (5) *Nondum subacta* — (7) *O saepe mecum* — (9) *Non semper imbres* — (11) *Quid bellicosus* — (13) *Ille et nefasto* — (14) *He heu* (heu heu *Med.*) *fugaces* — [(15) *Iam pauca aratro* om. cod. Med.] — (17) *Cur me querelis* — (19) *Bacchum in remotis* — (20) *Non usitata* — (III 1) *Odi profanum* — (2) *Angustam amice* — (3) *Iustum et tenacem* — (4) *Descende caelo* — (5) *Caelo tonantem* — (6) *Delicta maiorum* — (17) *Heli* (sic!) *uetusto* — (21) *O nata mecum* — (25) *Caelo supinas* — [(26) *Vixi puellis* om. cod. Med.] — (29) *Tyrrhena regum* — (IIII 4) *Qualem ministrum* — (9) *Ne forte credas* — (14) *Quae cura patrum* — (15) *Phoebus uolentem.* —

Decima ode monocolos est; habet enim uersus cui choriambicus nomen est, qui constat ex spondeo et tribus choriambis et pyrrichio Vtiturque hac metri compositione ter: (C. I 11) *Tu ne quaesieris* — (18) *Nullam Vare* — (IIII 10) *O crudelis adhuc.* —

Vndecima ode dicolos est distrophos, nam prior uersus constat amphimacro et monometro iambico; secundus uero trimeter est iambicus claudul' (claudus *Med.*); iambicus autem non solum iambicum (iambum *Med.*) sed etiam heroicum suscipit pedem locis imparibus. Inuenitur hoc metrum semel: (C. II 18) *Non ebur neque aureum.* —

Duodecima ode monocolos est; metro enim continetur quod constat ionico a minore, quod quidem non pedum sed sensus fine clauditur atque ideo (adeo *Med.*) a multis synaphia uocatur. Vtiturque hoc semel: (C. III 12) *Miserarum est nec amori.* —

Tertia decima ode bicolos (dicolos *Med.*) est distrophos; nam prior uersus heroicus est et (*om. Med.*) sequens eī (uero uersus *Med.*) heptimemeris. Vtitur hoc semel: (C. IIII 7) *Diffugere niues.* -

Quarta decima ode dicolos est distrophos; prior enim uersus trimeter est iambicus integer et sequens dimeter (iambicus *add. Med.*). Vtitur hoc quinquies: [*immo deciens; adde Epod. III IIII V VI VII*] (Epod. I) *Ibis Liburnis* — (II) *Beatus ille* — (VIII) *Rogare longo* — (VIIII) *Quando repostum* — (X) *Mala soluta.* —

Quinta decima ode dicolos est distrophos; nam prior uersus trimeter est iambicus integer; sequens uero constat ex penter (pentimemeri *Med.*)

heroica et dimetro iambico. Vtitur hoc semel: (Ep. XI) *Pecti nihil me sicut antea iuuat.* —

Sexta decima ode dicolos est distrophos; nam prior uersus heroicus est, sequens constat ex dimetro iambico et penter (pentimemeri *Med.*) heroica. Hoc semel utitur: (Ep. XIII) *Horrida tempestas.* —

Septima decima ode est distrophos; prior (enim *add. Med.*) uersus heroicus integer est, secundus iambicus dimeter. Vtitur hoc bis: (Ep. XIIII) *Mollis inertia* — (XV) *Nox erat et caelo.* —

Octaua decima ode est distrophos; prior enim uersus heroicus est integer, secundus iambicus trimeter. Vtitur hoc semel: (Ep. XVI) *Altera iam teritur.* —

Nona decima ode monocolos est quae constat trimetro iambico iugi (*scr.* integro). Vtitur hoc semel: (Epod. XVII) *Iam iam efficaci.* —

Hanc eandem metrorum enarrationem Cruquius ex tribus codicibus Blandiniis descripsit sed non solum multo in singulis uerbis emendatiorem sed etiam pleniorem; sed apud Cruquium sequenti uitae ascripta est post uerba: '*In satira Lucilium.*' 1* Nihilo minus uel eam ob causam ex codice nostro addidimus quod exemplum satis luculentum est quam misere talia nunc simul cum commentariis antiquis corrupta et lacerata sint et quantum damni ceperint Horatiana Blandiniis codicibus deperditis. Quod uero quaecumque ex praua saeculi XV scribendi consuetudine infra p. XII memorata peccata in codice sunt tacite correxi paucis puto non probabitur.

Sequitur altera uita (de qua cfr. Kirchneri nou. quaestt. p. 44) haece:

'(H) Oratius Q. Fl. praecone patre natus libertinae conditionis oriundus uenusinus fuit, quae ciuitas est Apuliae non tamen aut opibus uilis aut studio. Nam litteris liberalibus eruditus pro ingenii claritate quae in tantum iam a puero eminebat ut ultra meritum natalium talibus disciplinis se faceret aptum uideri. Hic post studia romana philosophiae causa Athenas profectus inter Epicureos primum locum tenuit. Familiaritatem etiam M. Bruti adeptus est eius qui cum Augusto dimicauit; nam et tribunus militum ipsius fuit; post uictoriam uero ciuilis belli interuentu Maecenatis illi Caesar indulsit.

1* *In Editt. a Kirchnero l. l. p. 43 citatis Ianii Mitscherlichii omnino desunt*

Fuit autem idem Horatius statura breui (breuis *Med.*) lippus obeso corpore iracundus obscenis moribus ita ut cubiculo speculato uteretur quo se coeuntem uideret. Natus VI idus december (sexto Idus decembris *Med.*) Cotta et Torquato consulibus; periit LXXVI (!?) aetatis suae anno herede Augusto; sepultus in Esquilinis iuxta tumulum Maecenatis. In opere suo (in carminibus *Med.*) Alcaeum imitatus est in satyra Lucilium. In principio carminis sui se Epicureum fatetur cum beatum dicit pro uoluptate uiuentem, ut Vergilius: '*trahit sua quemque uoluptas*' (Bucol. II 65). Ergo illum beatum ponit qui ex animi sui sententia facit quae uult, ita tamen ut hoc ipsum uelle in parte honestatis uersetur; ipsa enim uoluptas et summum bonum est. — Decem et nouem modos metrorum in carmine suo posuit. Prima ergo ode monocolos est i. e. cantus unimembris. Nam asclepiadeus dicitur qui constat ex spondeo et duobus choriambis et pyrrichio. Metrum dictum a poeta Asclepiade a pede choriambicum duabus fertur caesuris ex pentimemeri heroica et duobus dactylis aut ex spondeo et duobus choriambis et pyrrichio siue iambo propter ultimam indifferentem. In Horatio autem sciendum oden non eclogam dici quia ecloga Vergilii bucolicorum est. Erotice amatorie; pragmatice [i. *add. Med.*] causatiue; hypothetice [i.] personaliter; paranelice [i.] interpositiue; prosphonetice [i.] exclamatorie; proseutice [i.] deprecatorie. paean. proseutice [i.] laudatiue et deprecatorie. Monocolos est quotiens ode uno metro sine alterius admixtione scripta est; dicolos est ode quae duobus metris scripta (*om. Med.*) est; tricolos uel tetracolos in qua post duos aut tres uersus alia inchoantur. Metrum asclepiadeum quod constat ex spondeo et duobus choriambis et pyrrichio ita: *Maece. nasatauis. editere.gibus*, siue aliter ex spondeo dactylo caesura et duobus dactylis ita: *Maece. nasata. uis. edite.regibus*. etiam (quae *Med.*) scansio dicitur ex pentra (pentimemeri *Med.*) heroica et duobus dactylis.'

Haec quoque quamuis corrupta et lacunosa omittere nolui. Plura de utraque uita et de relicuis quae feruntur (cfr. Kirchner l. l.) alibi promam. Haud sine fructu quae apud Cruquium leguntur hisce conferentur.

Transeamus nunc ad relicua. — Atque primum scribendi ratio in nostro codice plerumque est uel maxime praua; sic temere sexcenties inter se mutantur *ae, e, i, y — f, ph — c, t — d, t*: — *Lide Cirus Ericina troycus Cipri Phillis nimphe — phas nephas prophanum aphricus — uicium canicies — uelud capud* — quamquam, id quod non reticendum, in eisdem uocibus non ubique peccatum est. Porro littera *h* temere aut omittitur ut: *ypercatalectus, yems; caribdis carta corda co-*

turnus teseus aut additur ut: *habunde horientis honustum hymber hora* (pro *ora*) *coherceo nothus protheus.* Consonantes aut male duplicantur ut: *sarcullo curricullo affricus tutella stillo* aut male simplices adparent ut: *pelite polutis stela Paladis sisena solicitus.* — Contra in aliis uocibus antiqua scribendi ratio aut semper retinetur *adulescens temptare* aut saepius certe ut: *belua sucus milia tura* alia similia.

Sigla praeterea permulta codex habet ut codices XV saeculi solent; sed malui 'talium rerum curiosos' in primis ad Kirchneri libellum saepius iam laudatum relegare quam eadem hic adpingenda curare; nam quae ibi ex eiusdem saeculi codicibus adferuntur fere omnia etiam in nostro Acronis codice reppereris. Contra quod silentio non aeque hic atque illa praetereundum uidetur hoc est, nullam omnino esse per totum codicem interpunctionem; quo fit ut lectio sit admodum difficilis et laboris plena.

Grauior multo quaestio est de pretio et auctoritate codicis in emendandis commentariis Acronianis statuenda. Qua de re ut paucis dicam quod sentiam: haud adeo multum codice adiuuamur; ut de singulis uocibus uel deprauatis uel mutilatis uel transpositis uel omissis taceam, singularis eius qui codicem scripsit incuria imperitia neglegentia se prodit innumeris fere modo maioribus modo minoribus sententiis omnino omissis aberratione oculorum quam uocant. Cuius rei haud alienum a nostro consilio iudicauimus infra pauca adferre exempla; et ita quidem rem egi ut scholia ex editione Fabricii integra ascripserim eis quae in codice expulsa sunt uncis inclusis. Quod grate si non omnibus at tamen multis me fecisse numquam non credam.

Carm. I 12, 26 *hunc equis.* Id est equestri proelio.
[*illum pugnis.* Cestuum pugna uel pedestri proelio]
18, 14 *tympana.* Ebrietatem; [nam tympanorum strepitum pro ebrietate posuit.
caecus amor sui. Propter ebrietatem] nescius sui e. q. s.

24, 15 *sanguis.* Vita. Vergilius: [Purpuream uomit ille animam.

imagini. Modo corpori ut Vergilius] in IIII Aeneidos e. q. s.

II 6 *Gades.* Insulae sunt Hispaniae [in ultima parte Oceani.

Cantabrum. Cantabri gens Hispaniae] siue Galliae e. q. s.

Ars poet. 98: *si curat cor [spectantis tetigisse querela.* Si id agit ut spectatorem flere cogat; hic uersus et sequentibus iungi potest. Si me uult flectere ad misericordiam deponat elata uerba. Cor] enim e. q. s.

150: *et quae [desperat tractata nitescere posse relinquit.* Id est bonus poeta relinquit ea quae] placere non possunt, hoc est, praeterit ea quae in tractatu ingrata sunt.

208: *postquam coepit agros ex. u. e. urbem.* Id est: Postquam [uictoria occupauit multas ciuitates nata est luxuria.

uinoque diurno. Quia diurno uti consueuerunt uino quod nocti et cenis magis conueniret. Id est: Postquam] coeperunt homines ita epulari ueluti in festis diebus e. q. s.

At praeter locos quales supra posuimus aliorum ingens fere numerus est quibus qui factum sit ut scholia aut tota aut ex parte exciderent causam certam uix adsecutus sis. Duplicem uero rationem obseruasse mihi uideor praeter illam quam iam memoraui; mutilata ea in primis sunt scholia in quibus graeca (quae librarius legere non potuisse uidetur) latinis admixta sunt, deinde uel maior eorum numerus est, quae breuiuscula uocant ex glossis interlinearibus facta potius quam e marginalibus.

Nihilo secius ne codicis opem omnino abicerem me monuerunt scripturae satis multae in quibus aut uera scholiastae manus patere aut certe ita latere uisum est ut facilius inde elici posset; itaque in adnotatione critica editionis nostrae etsi non omnia at tamen scitu dignissima enotauimus. Atque infra non nulla scripturis Fabricianis ueriora melioraque nunc promam.

Primum lemmata quamquam in codice plerumque ita exhibentur ut praeter prima Horati uerba plene scripta ex relicuis aut una tantum aut duae priores litterae adpareant, tamen multis locis genuinam poetae manum cum optimis poetae codicibus seruarunt. Sic:

Carm. II 5, 20 gnidius*ue* (non gnidiusque) — III 8, 1 docte sermon*is* (non sermon*es*) — 9, 5 donec non ali*a* (non ali*am*) magis — 12, 3 metuent*is* (non metuent*es*) — 14, 11 male *n*ominatis (non male *o*min.) — 18, 14 agres*tis* — 19, 15 tr*is* — 23, 17 *in*munis aram — 24, 12 *in*metata — 24, 42 o*b*probrium alia satis multa, quorum partem etiam infra reperies.

Sed etiam in emendandis ipsis commentariis non numquam codex nos adiuuit. Huius quoque generis non nulla infra in unum conspectum posui.

C. I 1, 23: *lituo tubae.* Inter lituum et tubam hoc distare inueni e. q. s. *FABR.*

lituo t. I. l. e. t. *h*ianti quis (*i. e.* in antiquis) hoc d. i. e. q. s. *COD.*

2, 2: *sacras.* Id est ad sacras arces templa deorum — dicit *FABR.*

(*sacras, i. a. sacras,* hoc est,) *sacras iaculatus arces.* Sacras arces — dicit *COD.*

2, 9: iaculante mox Pyrrha lapides puellae et Deucalione mares natis sunt *FABR.*

iaculata e. q. s. *COD.*

15: *monumenta.* Regiam dixit. Locus est ergo in quo Numa Pompilius habitauit e. q. s. *FABR.*

mon. R. d. Locus est enim e. q. s. *COD.*

ibid.: *regis.* Numae scilicet Pompilii qui seditionem abstulit et regionis cultum adhibuit *FABR.*

regis. N. s. P. q. s. a. et religionis cultum adh. *COD.*

31: *amictus.* Candidis nubibus uelatus ut qui uideri non potest *FABR.*

amictus. C. n. u. ut qui uideri possit *COD.*

3, 38: *caelum ipsum.* Quod solum sibi exceperant numina quasi et ipsum possent humani ausus attingere e. q. s. *FABR.*

caelum ipsum. O. s. s. e. n. q. e. ipsum possit humana uis att. e. q. s. *COD.*

4, 13: *pallida mors.* 'Pallida' epitheton mortis quae pallidos facit *FABR.*

pall. m. P. ep. m. quod pallidos faciat *COD.*

9. 21: *gratus puellae.* Puellam sibi gratam dicit quae saepe meretricio ritu manibus ludit amatoris; hanc autem e. q. s. *FABR.*

gr. p. Puellam — manibus labitur amatoris h. a. e. q. s. *COD.*

12, 59: *parum castis.* Pollutis secundum pontificum et aruspicum documenta qui numquam fieri fulmina e. q. s. *FABR.*

p. c. Poll. — qui dicunt numquam e. q. s. *COD.*

13, 16 .... Vnde et Terentianum illud [Eunuch. IIII. 2, 12 (640) Fleckeis.] 'tamen extrema linea amare haud nihil est' *FABR.*

aut (=haut) pro haud *COD.*

18, 11 *auidi.* Luxuria scilicet, proni propter ebrietatem *FABR.*

auidi. In luxuriam scil. proni p. e. *COD.*

22, 20: *domibus negata.* Cyrenaicam dicit inhabitabilem *FABR.*

dom. n. Cecaumen (*i. e.* cecaumenen *s.* κεκαυμένην) d. i. *COD.*

24, 13: *quod si.* Ordo est: Quod si bl. Th. O. e. q. s. *FABR.* Quid si *COD.* (Cfr. optt. Hor. codd.)

25, 2: *ictibus.* Lapidum *FABR.*

iactibus. Lapidum scilicet *COD.* (Cfr. optt. Hor. codd.)

14: *furiare eq.* Nouo uerbo usus est quasi in furorem libidinis urgere. Verg.: 'Scilicet ante omnes furor est insignis equorum' (Georg. IIII 266) *FABR.*

fur. eq. Nouo .... Verg.: 'Scilicet ante omnis f. e. i. equarum' *COD.*

Haec satis sunto. Plura facillima opera unusquisque sibi parare poterit euoluendo et peruolitando nostram editionem. Est igitur, ut iterum paucis nostrum de codicis pretio iudicium complectamur, minime is, qui nouae Acronis commentariorum recensioni pro fundamento esse possit (talem autem nos nostris subsidiis ne potuimus quidem moliri); at tamen non indignum habuimus propter multas scripturas sine dubio uulgatis meliores quem ad recognitionem nostram adhiberemus.

CAPVT II.

Praeter codices supra memoratos descriptosque nancti sumus etiam duas EDITIONES saeculi XV, ita ut ne eis quidem commentariorum partibus quas in codicibus excidisse superiore capite docuimus omni subsidio critico destituti fuerimus. De quibus nunc pauca mihi enarranda esse uideo.

Et altera quidem est Porphyrionis editio Pataui, ut uidetur, impressa a. M.CCCC.LXXXI; disertis enim uerbis [1*] locus non nominatus est; sed in praefationis seu epistulae praemissae fine haec uerba sunt: Vale. Pataui Idibus Augusti a. M.CCCC.LXXXI.

Atque est haec editio prior pars eius Horati editionis cuius integrum titulum Mitscherlichius p. LXII hunc esse tradit: '*Q. H. Fl. opera omnia cum comment. Acronis per Ludouic. de Strazarolis Taruisanum recogniti praecedente Porphyrionis in Horatii opera comm. per Raphael.*

1* 'Venetam hanc habet editionem Pinelli II 325 n. 4570. Idem statuit: Gemeiner, Nachrichten von den in der Regensb. Bibl. befindlichen Büchern p. 222. sed Pataui nomen liquido expressum memorat Bibl. Hulsiana. Vide Lengnich Beiträge t. II p. 102. Gras typogr. Denkmäler zu Neustift in Tirol aus dem XV. Jahrh. p. 223' Mitsch. p. LXIII.

Regium castigato. Quae enim adfert: 'Fol. I b. *Raph. Regii dedicator. ad Aloysium Maurocenum Patricium Venetum quae data est Patauii Idibus Aug. a. 1481.* In fine comm. fol. 50 b.: *Pomponii Porphyrionis enarratoris diligentissimi in Horatium commentariorum finis*' ea etiam in nostro libro leguntur. Repperi hanc editionem in bibliotheca serenissimi principis a Lobkowitz quae Raudnitziae in oppidulo haud procul a Praga sito extat cum antiquis editionibus tum codicibus manu scriptis satis ubere; quae ut in usum meum conuerterem liberalissime mihi concessa est.

Sed prius quam plura de hac Porphyrionis editione in medium proferam obiter moneam in eodem uolumine satis amplo etiam alia extare quae ut ad notitiam uirorum doctorum ueniant optandum est. Et prima quidem absolutis Porph. scholiis quae CXLVI foliis contineantur haec subscriptio docet:

'*Continentur in libro haec:*

Enarrationes satyrarum Iuuenalis per Georg. M. (*Merulam*) *Alex. ad Fredericum de monte feretro Vrbini ducem inuictissimum.* —

Aduersus Domicii commentarios in Martialem ad Marcum Antonium Maurocenum. —

Annotationes in Ligarianum Ciceronis ad Bernardum Bembum. —

Argumentum epistolarum Ciceronis ad Lentulum de ui et ordine suffragiorum in centuriatis et curiatis comitiis. Quid praerogatiua suffragiorum et quomodo legis promulgatio ad Dominicum Sanutum.

Impressa Venetiis per Gabrielem Petri
Duce inclyto Andrea Vendramino
M.CCCC.LXXVIII.

Deinde secuntur foliis LXI:
'*Clarissimi uiri Antonii Volsci expositiones in Heroidas Ouidii*' cum hac subscript.: '*Impressum Parmae opera et impensis Andreae Portiliae a. salutis M.CCCC.LXXXVI VI Idus Septembris.*'

Denique foliis XXVIII sine loco et anno:

'Auli Flacci Persi poetae satyrarum opus'

cum scholiis ueteribus. Praemissum est 'Bartholomaei Fontii Prooemium in Persium poetam ad Laurentium Medicum.' In fine addita epistula Barth. Fontii ad Francisc. Saxellum de quibusdam mensurarum uocabulis et Vita Persii (breuis ab eodem Fontio ut uidetur composita; sic enim incipit: 'Persium aggressuro inprimis necessarium uisum est eius uitam etc. percurrere').

Vt redeam nunc unde abii, Patauinae editioni praemissa est Raphaelis Regii editoris epistula ex qua eam partem qua de pretio scholiastae eiusque commentariorum conditione agit infra posui ut scitu satis dignam: '(Porphyrion), inquit, in eliciendis enodandisque uenusini poetae sententiis tam sollicita utitur diligentia ut ipsius enarrationes meridiana luce uideantur clariores siquidem historias fabulasque ac alia ad poetarum declarationem necessaria ita breuiter facundeque attingit ut nihil neque deesse neque superesse existimari possit. Verum quae est natura inuidiae fortunae, ut semper meliora pereant, huius tam egregii litteratoris quem ego uel priscis omnibus grammaticis anteferendum censuerim lucubrationes in Horatium siue librariorum negligentia siue temporum iniquitate paene amiseramus. Tot enim in his extabant *inuersa transposita manca errata ut non modo non intelligi sed ne legi quidem in multis locis possent.* Quod scilicet cuiuis facile constabit quem non pigebit aut Romae [1*] nuper impressa dumtaxat dimidiata aut manuscripta exemplaria cum hac nostra editione conferre. Neque tamen infitias eo non nulla quoque in his non perinde atque in archetypis emendata reperiri. Diuini enim hoc potius esset quam *humani librum ubique uetustate corrosum in tanta praesertim exemplarium pau-*

1* Ni fallor haec referenda sunt ad eam editionem cuius titulum hunc exhibet Mitscherl. p. LVIII: '*Q. H. Fl. Odarum libri IV. Epodon liber I. carm. saec. et Ars poetica cum commentariis Acronis et Porphyrionis curante Io. Aloysio Tuscano* et cum eiusdem *Epistola ad Franciscum Helium Parthenopeum* sine loco (Romae) et anno (1476).'

citate (unicum enim in antiquis dumtaxat inuenitur) in pristinam uindicare sinceritatem, cum praesertim ea quoque quae in scholis quotidie leguntur in pristinum candorem redigi aut redacta conseruari nequaquam possint......... *In Porphyrionis uero enarrationibus castigandis id quod potuimus sollicita usi sumus diligentia quae quidem si impressorum non uiolabitur negligentia haudquaquam dubito quin hoc nostrae emendationis munus disertissimis fratribus Andreae et Marco maxime cordi futurum sit.*'

Post hanc epistulam dedicatoriam sequitur inscriptio: 'PORPHYRIONIS IN QV. HORATII FLACCI OPERIBVS COMENTVM INCIPIT' et in fine libri subscriptio haec: *Pomponii Porphyrionis enarratoris diligentiss. in Horatium commentariorum Finis.*

Hanc editionem Porphyrionis omnium quotquot mihi innotuerunt praestantissimam iudico. Quare eam cum ubique praeter codicem consuluerim et uarias eiusdem scripturas quaecumque non aperto errori seu librarii seu operarum dandae uiderentur passim in adparatu critico reposuerim, tum ut relicuis longe certiorem ducem eis praecipue recognoscendis adhibuimus quae in codice deesse supra questi sumus. Neque enim solum in singulis uerbis plerumque cum codice consentit contra a Fabriciana dissentit, sed etiam sat multas lacunas aut eodem aut certe suppari modo explet, ita ut gratissimum iam codicis Guelpherbytani supplementum habeamus. Sic, ne exempla omnino desint, lacunas commentarii ad Carm. I 11, 6. I 25, 1.* I 31, 12 (cfr. supra p. 6. 7.)** perinde ac codex explet. Plura eiusmodi qui certius sibi ipsi iudicium paraturi erunt facile in usum suum congesserint.

Restat igitur breuis alterius editionis descriptio et recensus. Quae quidem continet Horati opera omnia cum com-

* *Quare in editionis nostrae adnotatione critica ad hunc locum non scribere debebam:* 'Edd. ea om.' *sed potius* 'om. Med. Fabr.' *quod corrigendum*

** *Sic etiam p. 11 pro* p. V. VI *corrige* p. 6—10

mentariis Acronis et Porphyrionis et impressa est Mediolani a. M.CCCC.LXXXVI; in fine epistulae editoris 'Alexandri Minutiani Appuli ad magnificum uirum Bartholomaeum Chalcum Ducalium secretorum magistrum' haec habes: *In diali arce pridie idus Martias anno a nato domino M.CCCC.LXXXVI.* et in fine uoluminis: '*In officina egregii librarii Zarotti Parmensis impendio Alexandri Minutiani Appuli De sancto Seuero haec opera Mediolani impressa sunt. Anno a salutifero Virginis partu sexto et octagesimo supra millesimum et quadringentesimum. Quinto idus Martias. Iohannis Galeatii Mariae SF. Vix. Sex. Med. Ducis inclyti Regnum foelici gubernante auspicio Lodouico SF. Vic. inuictiss. et sapientiss. Principe cuius singulari prudentia ocio ac festa pace fere omnis fruitur italia.*'

Epistulae editioni praefixae loci duo sunt maxime memoratu digni; quorum altero editor postquam enarrauit Horatium se sibi cum commentariis antiquis recognoscendum edendumque sumpsisse 'ueritum ne si id oneris penitus detrectasset plurimum de maiestate Horatiana tolleretur ob temerarium et ueluti sacrilegum cuiusdam[1*] conatum qui recentissimas in Flaccum interpretationes edidisset': '*hos libros*', inquit, *studiosissime quantum sub unico exemplari eoque temporum iniuria exeso librariorumque incuria mendosissimo recognouimus. Ceterum impressis libris et recognitione iam publicata uenit ad manus meas Porphyrio quidam antiquissimus cuius ope pleraque in quibus intelligendis nec frequens lectio nec pertinax studium uel minimum conferret, melius corrigi castigarique possent. Quare ut amantissimis mei plenius obsequerer hos libros meis sumptibus iterum imprimendos curaui*'; altero uero qui haud minus illo memorabilis uidetur esse: '*In qua quidem recognitione*', inquit, *non infitior multa ut in exemplari repe-*

1* *Quis hic a Manutiano carpatur incertum est; de* Conagi *editione (Mediolani a. M.CCCC.LXXV) cogitat Saxius Histor. typograph. Mediol. p. 581;* Landini *operam cauillatum esse editorem putat Gesnerus praef. in Horat. Mitscherlichius l. l. p. LXVI illi, equidem huic magis assentiar; sed spondere de neutra sententia uelim.*

riebantur me reliquisse, ne scilicet deraso aut mutato loco cuius sensum ignorarem eius arguerer impudentiae qua plurimos nostri temporis uiros taxari uidemus; illi enim dum stulta quadam persuasione tamquam omnia nouerint quod sibi incognitum est deradunt atque inuertunt multis honestissimis dictionibus linguam latinam defraudant.'

Vnde quod sponte sequi uidetur hoc est Porphyrionis in hac editione textum quem uocant pluris faciendum esse quam Acronis; huic enim emendando noua meliorisque notae subsidia adhibuisse non uidetur. Nos quidem toto uolumine adcuratius diligentiusque tractato conlatoque cum relicuis subsidiis supra recensitis hanc fere sententiam tulerimus: Porphyrionis scholia emendatiora quidem exhibet haec Mediolana quam in Fabriciana nunc feruntur; at tamen cum Patauinae tum codici Guelpherbytano nostro est posthabenda; Acronis uero commentarii non perinde in ea lacunosi sunt atque in codice nostro et in uniuersum etiam emendatiores quam in illo et editione Fabriciana. Quod quidem noli ita a me dictum accipere quasi summum ex hac editione in Acronis emendationem fructum redundare crediderim; sed melioris notae et codicibus et editionibus destitutus non potui eam non in auxilium uocare, cum praesertim in codice nostro in Epistulas commentarius omnino desit ut supra uidimus. Nam quotquot mihi innotuerunt aliae saeculi XV et saeculi XVI editiones (uidi autem et grauioribus locis aliquando inspexi *nouem*) sunt eae omnes ita comparatae ut nostra meliorem nullam iudicare potuerim. Qua re ut decet pensitata uix a nobis expectaueris Acronis eandem recognitionem factam ac Porphyrionis. Vtinam igitur aut aliis aut mihi aliquando contingat ut nouos fontes aperiamus nostrisque emendatiores; inde omnis Acronis salus pendet.

Itaque cum ex duabus uitis quae in Mediolana praefationem secuntur supra ubi easdem ex Acronis codice deprompsi uarias scripturas addiderim nihil habeo quod nunc

hisce addam nisi hoc: et Mediolānae huius et Fabricianae editionis copiam mihi intercedente *L. Langio V. Cl.* fecisse *Hoeckium V. Cl.* bibliothecae Acad. Georgiae Augustae praefectum. Quibus igitur uiris perinde ac *V. Cl. Bethmanno Guelpherbytano* acceptum referendum erit quidquid ad emendandos ueteres commentarios contulerimus.

Restat quaestio grauissima de COMMENTATORE CRVQVIANO eiusque in emaculandis Acronis et Porphyrionis scholiis pretio statuendo.

CAPVT III.

COMMENTATOREM CRVQVIANVM qui neget maximam partem continere Acronis et Porphyrionis scholia quae feruntur ac contendere uelit nihil ei in his ipsis emendandis et in pristinum statum reducendis pretii esse tribuendum hodie uix quemquam reppereris praesertim post SVRINGARI disquisitiones in praeclaro libro: *Historia critica scholiastarum latinorum. Lugduni Batau. 1835.* Vnde quae huc in primis pertinent uerba postrema (III p. 82) sententiae Suringarianae summam continentia infra integra ascripsi:

'*Qualiscumque autem*', inquit, '*horum scholiorum*' (sc. Commentatoris) '*origo fuerit hoc tandem a me monitum esse uelim futurum Horatii scholiastarum editorem uix telam suam bene pertexturum esse, nisi hunc qualis a Cruquio ex locupletioribus et subinde minus inquinatis codicibus editus est laborem diligenter et κατὰ πόδα sed et caute usurpet ad emendanda quae uel in Fabricii editione interdum miserrime corrupta sunt Acronis et Porphyrionis scholia.*'

Et profecto non fefellit opinio uirum clarissimum. Sed cum non ex uno fonte Commentatorem originem duxisse constet sed ex pluribus eisque et aetate et pretio et conditione

ualde disparibus, nec quisquam quod quidem sciam (ne Suringarius quidem) adcuratius diligentiusque omnia quae passim ab ipso Cruquio de fontibus Commentatoris de eorum conditione deque sua in transcribendo eodem et tractando ratione monentur conlegerit, hanc ipse prouinciam detrectare nec potui nec debui. Praeiuit nuper quidem hac in re Muetzelius V. Cl. (in Ephemer. ab ipso edit. 1856 p. 868 sqq.) sed is ne uoluit quidem ni fallor omnia cum puluisculo exhaurire. Atque taediosum hunc ex ingenti farragine singula frustula conligendi et in ordinem certum redigendi laborem fortasse supersedere omnino hodie possemus, si uni tantum exemplari editionis Carminum libri IIII a Cruquio a. 1565 curatae temporum iniuria pepercisset; nam in praefatione ad lectorem beneuolum 1579 Cruquius: '*In antiquis*', inquit, '*commentariis iam pridem in quartum Odarum Epodos et Satiras euulgatis lector candide nonnullos intelligo et non postremae notae uiros subsannare atque adeo reiectare dictionem hanc, Commentator, quasi minus idoneam nec satis, ut enarratorem notet, latinam: quod etiamsi non penitus infitier, tamen si diligentius animaduertant nostrum ea in re consilium et epistolam ad lectorem olim l. Odarum quarto praepositam candidius pellegant* aequiores certe nobis eos fore crediderim.' (Cfr. Muetzell. l. l. p. 851). Sed periit illa editio ut uidetur; certe ne unius quidem exemplaris notitia ad nos peruenit.

Quae cum ita esse uiderem taedium uincendum et totam Cruquii farraginem iterum iterumque excutiendam et quidquid ad Commentatorem spectaret conligendum et disponendum mihi esse putaui, quo iactura supra memorata quantulacumque ex parte repararetur. Atque tripertitam esse uolui totam quaestionem, ita ut primum de fontibus Commentatoris quidquid Cruquius commemorasset congererem, deinde ad conditionem fontium quae spectarent adferrem denique quae Cruquius ipse de sua in consarcinando Commentatore ratione hic illic professus esset in uno conspectu ponerem.

De FONTIBVS quaestionis quasi summam ostendunt quae Cruquius in Epistula ad Cornelium filium praemissa commentariis in Artem poeticam narrat; ubi: '*Quod*', inquit, '*ne fieret*' (sc. ne mutila operis summa appareret lectoribus; primum enim instituerat commentarios tantum ad Artem poet. edere) '*ab initio operum Horatianorum quidquid in antiquis scriptis et Blandiniis et aliis offendimus lectu scituque utcumque dignum ad finem usque descripsimus; qua in re nobis nihil ascribimus praeter immensos diuturnos nocturnosque labores et integram fidem.*' Ergo non ex Blandiniis tantum codd. sed etiam ex relicuis Commentatorem hausit. Eodem ducunt quae in praef. ad lectorem beneuolum 1579 scribit: '*nec ullis Blandiniis Tonsanis aut aliis scriptis appositum nomen alicuius* (inueni)' et quae hic illic suis commentariis inseruit de interpretationibus modo marginalibus modo interlinearibus *Buslidianorum Diuaei Martinii Siluii Tonsani* codd. Sic *Buslidianum unum* commemorat p. 256 b.: 'hic secta est haec Epodos in duobus codd. Bland. et *Buslidiano uno* his uerbis: Introducit foeneratorem laudantem uitam quietam sed tamen propositum non deserentem'; adde p. 443 a. — *Diuaei* codicem commemorat p. 85 a. 342 b. 369 b. 403 b. 498 a. 499 a. *Martinii* cod. p. 312 b. *Siluii* p. 369 b. 612 b. *Tonsani* p. 312 b. 369 b. 403 b. 535 b. Fere omnibus his locis horum codd. adnotationes non in Commentatorem recepit sed scholiis codd. Bland. cedere iussit; sed indidem ni fallor sponte sequitur aliis locis editorem eorundem codd. scholia recepisse. Neque quicquam impedit quo minus huc referamus eos locos quibus *in uniuersum e codicum suorum scholiis se Commentatorem desumpsisse testatur.* Sic dicit p. 29 a.: 'hauri merum quadrimum diota sabina, fortassis ex Maggano (quod in Commentatore posui *ex scriptis*).' — p. 77 b.: '*in scriptis adnotationibus* offendi'; et similiter p. 274 b.: '... ait Commentator. Attamen quam in adnotationibus scriptis inueni, nolui celare lectorem e. q. s.' — p. 280 a: 'adnotationes carminibus adscriptas.' — p. 283 a: 'in hac lectione non dissentiunt uersus scripti, sed in adnotationibus habetur e. q. s.' — p. 309 a: 'haec in codd. scriptis ad

marginem adnotatio.' — p. 321 b: 'Antiqua scripta nolui negligere ex quibus Commentatorem desumpsimus.' — p. 323 a: 'cuius ego loco in Commentatore ex scriptis posui.' — p. 337 a: 'cum quasi ex promisso ueteribus ex scriptis optima quaeque colligere studeam.' — p. 367 b: 'ego certe haud grauatim Commentatori subscripserim qui *κολόβιον* uel, ut in antiquissimis[1*] adnotationibus *τὸν κολοβίωνα* nuncupat.' — p. 368 b: '*Claudi* habent omnes manuscripti et quidam ex eis hanc adnotationem.' — p. 369 a: 'erui ex lacunis ueterum scriptorum.' — p. 449 b: 'ex commentariis antiquis in quibus ex scriptis libris adhuc superest antiquitatis miserabiliter lacerae uestigium.' — p. 537 a: 'subterfugerunt multi interpretibus antiquis ex quibus Commentatorem describimus assentiri.' — p. 542 a: 'nec in scriptis ullis antiquis ex quibus Commentatorem edimus.' — p. 543 a: 'in antiquis scriptis inueni *scrutum* etc.' — p. 548 b: 'in scriptis antiquis haec leguntur.' — p. 559 b: sed plurium consensum secutus sum cum antiquis adscriptis ut uidere in Commentatore licet.' — p. 568 b: 'sed lectorem celare nolui inuenisse me haec uerba.' —

At longe maximam partem scholiorum Cruquii in codicibus Blandiniis extitisse et inde a Cruquio descriptam esse negari nullo pacto poterit. Sed eis quoque locis ubi hos codices sibi scholia largitos esse memorat, modo ex uno modo ex duobus alia ex tribus aut quattuor denique ex Vetustissimo se hausisse fatetur. Quo quidem fit ut paucissimis tantum locis Vetustissimus quid commentariorum habuerit compertum habeamus; et tamen quae est nostra nunc horum studiorum ratio seuera admodum et curiosa multum interest quis Blandiniorum quoque loco fons fuerit. Ergo nihil aliud restat nisi ut singulos locos ex Cruquii commentariis iterum conligamus et digeramus ut quisque ipse sibi iudicium facere possit.

1* An forte sunt hae adnotatt. *cod. Bland. antiquiss.?*

A. Adnotationes *Blandinii Vetustissimi* laudantur: p: 197 a: 'sic habet Bland. uetustiss. cum hac adnotatione: late patens.' — p. 224 a: 'hic in antiquissimo cod. Bland. ex usu frequenti litteris propemodum deletis coniectura uix assecutus sum haec uerba e. q. s.' — p. 241 b: 'Commentator hic secutus est communem opinionem [1*]; sed in manuscripto cod. Bland. uetustissimo ex characterum frustulis comperi, Prognen e. q. s.' — p. 244 a: 'Hanc lectionem cur non mutarim fecit cod. antiquiss. et interpretatio adnotata scil. pretiosi.' — p. 342 b: 'Bland. antiquiss. habet *uersetur* et ubi exponit quo tempore sicut et Commentator.' — p. 347 a: '*ustrina* habet cod. antiquissimus Bland.' — p. 402 b: 'adnotationes Blandinii cod. uetustiss. sunt hae: cum exudet e. q. s.' — p. 451 a: 'Codex antiquiss. Blandinius habet *species alias ueris* cum hac adnotatione: contrarias ueritati.' — p. 476 b: 'Codex Bland. antiquiss. habet ad oram paginae characteres ipsa quidem forma graecos sed eos assequi cum nequeam non inutile duxi studiosis perspicacioribus eruendos appingere: *iΔιετατωN όεNιτHN ιαNειτ ςοϑεNϰ* e. q. s.'—p. 487 b: 'Antiq. cod. Bland. habet sine ulla litura *nouatae* et adnotationem hanc etc. Quae uerba quod mihi somnium uiderentur nolui Commentariis inserere.' — p. 560 b: 'In antiquiss. cod. Bland. pro *nam quae deserta* etc. legitur *nam qua* et supra scriptum *ubi*.' — p. 581 a: 'Bland. antiq. ex quo Commentatorem descripsimus habet etc.' — p. 630 a: 'Bland. antiquiss. legit *cantata* etc. cum hac adnotatione: ab aliis prius dicta.'

B. *Vnius* Blandinii:

P. 69 b: 'Sic Bland. codd. tres habent. Quartus autem *poscimus* cum aliis sed adnotatum: alias *poscimur*, at uni ex

1* *Vnde igitur hic commentatorem hausit? Incertum est; (cfr. supra ad p. 274 b) et hinc etiam id patet quam uerum ipse dixerit:* 'quidquid in antiquis scriptis et Blandiniis et aliis offendimus lectu scituque dignum ad finem usque descripsimus.' *Et sic permulta eorum quae supra conlegimus in Commentatore frustra quaeruntur.*

tribus: haec adscripta est enarratio etc.' — p. 79 a: 'Pro *Pomponio* Numida in epigraphe reposui *Plotium* Numidam ex uno cod. Bland. quod in his uerbis etc. scriptum inueni.' — p. 246 b: 'in adnotatt. unius cod. (Bland.?) uidi *Cenaunos*.' — p. 302 a: 'hoc ego inueni in uno cod. Bland. adnotatum hoc modo etc.' — p. 312 b: 'uerum ad marginem unius cod. Bland. scriptum inueni: *hic quidam notatur Fabius*.' — p. 530 a: 'in adnotatt. unius cod. Bland. ex quo Commentatorem magno studio descripsimus uidi etc. in alterius etc.' — p. 537 a: 'in uno ex Blandiniis *saeuum i. e. ultra mensuram*.' — p. 615 b: 'cod. unus Bland. habet adnotatum etc.' —

C. *Duorum* Blandiniorum:

P. 296 a: 'in duobus codd. Bland. uidi adnotata haec uerba.' — p. 586 a: 'duo Bland. habent: *lingua* alias *cena*.' — p. 587 a: 'codd. Bland. duo habent: *auditor* alias *adiutor* sed etc.'

D. *Trium* Blandiniorum:

P. 247 a: 'tres codd. (Bland.) habent *minitatur* sed quia adnotatio scripta habet *meditatur* etc.' — p. 248 b: 'adnotationes scriptae habent in tribus codicibus (Bland.)' — p. 269 a: 'hanc lectionem reliqui tres codices Bland. in adnotationibus agnoscunt.' — p. 341 a: 'In Commentatore carmen Lucilii legitur ex tribus codicibus Bland. hoc modo.' — p. 426 a: 'codices Blandinii tres minutissimis characteribus exhibent hanc adnotationem etc.' — p. 427 a: 'in tribus codd. Bland. adnotatum est etc.' — p. 645 b: 'hanc lectionem reposui ex tribus commentariis scriptis Bland.' —

E. *Quattuor* Blandiniorum:

P. 266 b: 'Sic scriptum est in quattuor codd. Bland. cum adnotatione hac etc.' — p. 292 a: 'sic habent quattuor codd. Bland. cum adnotatione.' — p. 297 b: 'sic inueni in quattuor codd. (Bland.) cum interpretatione apposita.' — p. 302 b: 'in quattuor codd. (Bland.) eadem erat (sc. lectio) cum suis adnotationibus et cod. Diuaei.' — p. 347 a: 'ut quattuor codd. Bland. in adnotationi-

bus habent apertissime.' — p. 613 b: 'quattuor Bland. habent *calentia* quos Commentator ex antiquis illis scriptis sequitur.' —

P. 265 a: 'Quisquis hic nobis Porphyrionem mentitur certe refert sine capite fabulam, nimirum eadem ad uerbum quae in unis adnott. Bland. offendi; ea autem ex aliis tribus quantum potui quae desiderabantur in Commentatore apposui.' — p. 285 a: 'quod autem Commentator habet: dulcibus alloquiis i. e. familiarium sermonibus etc. non dubito illud esse suppositicium ipsa tamen uerba omittere non potui quia in tribus codd. (Bland.) sine ulla macula adscripta inueni. Sed in quarto cod. ad marginem quidem hoc scriptum erat etc. ut uides in Commentatore.' — p. 587 a: 'duo Bland. codd. habent auditor alias adiutor; sed omnes ad unum scripti mei habent *ultor* sed cum diuersa expositione: antiquiss. Bland. habet etc. alius etc.'

F. *Scriptorum (omnium)* Blandiniorum: 1*

P. 75 b: 'huius autem interpretationis etc. mihi causa fuere commentarii Blandinii in quibus offendi etc.'—p. 76 a: 'At Blandiniorum codd. uetustas non nihil me nutare facit, quorum adnotationes (in aliis certe inconstantes) hic uno consensu de seruitute loquuntur.' — p. 229 b: 'Commentator autem tam in contextu (lemmate?) quam in enarratione potius Acronem et Porphyrionem 2* uulgatos quam antiqua scripta sequitur, quae in contextu consonant, sed in adnotatt. Blandinii habent: *Agylleus* i. e. uillanus etc.' — p. 266 a: 'in hac dictione consentiunt codd. Bland. uerum in adnott. scriptum est etc.' — p. 280 b. 'hic secutus sum codices Bland. et adnotationes sine ulla litura aut macula scriptas.' — p. 378 a: quid enim Commentator per *Zangas* (eam enim dictionem

1* *Poteram quidem haec eis quae proxime antecedunt addere sed consulto seiunxi quo melius singula dispici possent* 2* *Ergo in Commentatore non desunt quae Cruquius ex Acr. et Porph. scholiis non ex suis codd. sumpsit; et idem multo saepius factum esse crediderim quam a Cruquio diserte memoratur*

sine ullis lituris inueni in adnotationibus Bland.) etc.' — p. 384 b: 'nam adnott. Bland. exprimunt *τὸ et.*' — p. 394 b: 'in scriptis codd. Bland. inuenio supra *τὸ diuina* scriptum *sortilega,* et hoc etiam in Commentatore uidere est.' — p. 402 a: 'uel potius ut habent adnott. Blandiniae uenerandae antiquitatis *δραματοποιητήν.*' — p. 424 a: 'praetorium asellium (ut in Bland. adnotationibus).' – p. 440 b: 'de Iano medio et imo et supremo quae in scriptis Bland. sedulo conquisiuimus in Commentatore reponi curauimus.' — p. 478 a: 'at ego malim sequi adnotationes Bland. quae sine ullis maculis habent *Fusius uiuaculus,* ut in Commentatore scribi curaui.' — p. 486 a: 'De libitina lacu, ut habent codd. Bland. ad marginem etc.' — p. 498 b: 'et hoc ipsum est quod in Commentatore scripsimus uix tandem ex barbarissimis characteribus Codicum Bland. erutum *τἀναντία.*' — p. 505 a: 'Vmbrae Maecenatis fuere Seruilius Balatro et Vibidius ut habent adnott. Blandiniae.' — p. 526 b: 'scripta omnia Bland. (ut in Commentatore scriptum cernere licet) hic habent *Titus Septimius.*' — p. 530 a: 'nisi adnott. Blandiniae me uarium quasi data manu in uiam reduxissent.' — p. 532 a: 'dum inciderem in adnott. Blandinias quae solae meam mentem mutarunt' — p. 535 b: 'supple *et ne,* ut uix tandem in adnott. Blandiniis excutere potui.' — p. 548 a: 'in antiquis scriptis Blandiniis inscriptio est etc. insuper in scriptis legitur *comoediarum* non ut Acro *tragoediarum scriptor.*' — p. 552 a: 'hic dialogus est quantum licuit obseruare ex notis codicum Bland.' — p. 605 a: '*laudat* inquit Commentator ex antiquis scriptis (Bland.?)' — p. 611 b: 'idem ante eum habuit Acron uulgatus ut patet[1*] in Commentatore ex antiquis scriptis Blandiniis.' — p. 615 a: 'Commentator hic Sosipatro aduersatur de quinque atris diebus ex scriptis Blandiniis, ubi lacuna ingens antiquitatem

1* *Hic quoque locus satis memorabilis est; fuitne ergo Acron uulgatus in antiq. script. Bland.?*

omnem absorbsit; antiquissimus autem totus ad finem huius epistolae partim oblitteratus est partim lacer.' —

Omnibus igitur locis supra congestis satis superque euincitur ex omnibus quidem suis sed in primis ex Blandiniis codicibus Commentatorem suum hausisse Cruquium. Vnde liquet auctoritatem Commentatoris et uirtutem non ubique parem esse praesertim in emendandis inde Acronis et Porphyrionis scholiis; quo accedit quod de paucissimorum tantum scholiorum origine ratione supra monstrata edocemur; de omnibus relicuis res in dubio certe manet. Cui quidem si addideris ea quae Cruquius passim de CONDITIONE scholiorum, qualia in codicibus reppererit, memorat sunt ea quoque ita comparata ut uel maiorem a nobis in eis adhibendis cautionem exigant, eorumque auctoritatem comminuere potius quam augere uideantur.

Quo ante omnia ex epistula ad Cruquium filium pertinent haec: 'quae (scholia) profecto me sic acuerunt suis barbariei telis occultis et numquam non ex alto puluere quasi in nebulam iam condensato hostiliter emicantibus ut non raro reiectis armis desperarim de uictoria.' Deinde ex praefatione edit. 1579 ad lectorem beneuolum haec: 'ut taceam ea quae euolui in Horatium scripta uix ullo honore digna, sed ita lacera manca mutila lacunosa et tantum non carie et uetustate deperdita ut ex eis uix hos commentarios consarcinauerim.' Quibus subiungere placuit quae alibi per ipsius Cruquii commentarios dispersa inueniuntur ad scholiorum in codicibus conditionem spectantia:

P. 85 a: 'quorum sententiae sine controuersia subscribendum iudico eo quod in *Diuaeo* codice litteris uetustate prope oblitteratis scriptum offenderim etc.' — p. 91 a: 'in *antiquiss. codice Bland.* ex apicibus lituris et alterius Blandinii collatione etc.' — p. 214 b: 'in *duobus codd.* (*Bland.*) citrea, in *tertio* non sine lituris, deinde opitulata mihi est adnotatio licet barbara ac fere uetustate

deleta etc.' — p. 224 a: hic in *antiquiss. cod. Blandinio* ex usu frequenti litteris propemodum deletis coniectura uix assecutus sum haec uerba etc.' — p. 241 b: 'sed in manuscr. codice *Bland. uetustiss.* ex characterum frustulis comperi.' — p. 246 a: 'hic ego lectionem Graecam in Commentatore restitui quoad eius fieri potuit ex characteribus Latinis aut potius Gothicis.' — p. 369 a: 'cod. *Tonsanus* ad oram paginae hanc habet adnotationem breuiusculam sed usu et maculis tantum non deletam.' — ibid. 'in *Diuaei* codice etiam adnotatum est, quod uix tandem quoque assecutus sum.' — p. 426 a: 'uerum *codd. Bland. tres* minutissimis characteribus exhibent hanc adnotatiouem etc.' — p. 476 b: 'cod. *Bland. antiquissimus* habet ad oram paginae characteres ipsa quidem forma Graecos sed eos assequi cum nequeam etc.' — p. 498 b: 'et hoc ipsum est quod in Commentatore scripsimus uix tandem ex barbarissimis characteribus codd. Bland. erutum etc.' — p. 499 a: 'cod. *Diuaei* habet quantum licet coniicere ex notis usu et uetustate tritis.' — p. 535 b et p. 615 a uide supra pag. 41 — p. 582 a: 'huic autem lectioni adstipulatur *in cod. Tonsano* adnotatio tantum uetustate non deleta.' — Addo ex Cruquii editione Epodon a. 1567 p. 19 (auctore Muetzellio l. l. p. 871): 'has inscriptiones antiquissimas in *codicibus Blandiniis et Buslidiano uno* inuenimus, quas ex fragmentis hinc litterarum illinc dictionum inter se tandem magna cura connexarum erutas hic adscripsimus.' —

E contrario rarissime aut perspicuitas aut elegantia scripturae laudatur; quod uero hic illic Cruquius eam praedicat non id fecisset profecto, ni alias saepius quam diserte memorat 'scriptorum barbariei tela' ipsum nimis exercuissent. Qui huo pertinent loci per totam farraginem octo tantum repperi:

P. 256 a: 'sine ullis lituris adnotatum uidi.' — p. 280 a: 'tacitus praeterire non potui quod hic et elegantes

characteres sine ulla litura offenderim etc.' — p. 280 b: 'adnotationes quattuor Bland. manu sine ulla litura aut macula scriptae etc.' — p. 285 a: 'tres Bland. sine macula ulla.' — p. 341 a: 'tres dicti codices (Blandinii in Commentatore) in exquisitissimis characteribus consonant.' — p. 347 a: 'quattuor codd. Bland. in adnotationibus habent apertissime etc.' — p. 378 b: '*Zangis* (eam enim dictionem sine ullis lituris inueni in Blandiniis) etc.' — 478 a: 'adnotationes Bland. sine ullis maculis etc.' —

Iam quae ex eis quae supra posuimus consectaria sunt haec fere esse uidentur: Adnotationes et marginales et interlineares in Cruquii codicibus fuisse uariis manibus non eadem ubique scriptas multasque aut usu frequenti aut uetustate aut alia quacumque de causa ita deperditas ut editor partem uix alias omnino non legere posset immo coniecturis suis easdem iuuare et enodare cogeretur. Neque errare nobis uidemur suspicantes multo id saepius usu uenisse quam Cruquius ipse confessus est. Sed utut haec sunt, qui compertum habet quantis difficultatibus laborare soleant qui scholiis et marginalibus et interlinearibus legendis describendisque operam nauant, quanta oculorum acie quam diligenti et indefesso studio ad ea cum puluisculo exhaurienda opus sit, poterit quidem et debebit summam eamque meritam Cruquio impertire laudem, quod nobis uberrimos commentariorum in primis Blandiniorum fontes recluserit et ab interitu seruauerit (nam absque eo esset nil de eis hodie haberemus), poterit tamen non minus et debebit uereri, ne multa eum fugerint, ne alia frustra temptauerit alia praetermiserit siue 'longis diuturnis nocturnisque laboribus fatigatus siue sensim sensimque inminuta diligentia, quam semel quidem ipse (id quod etiam Muetzellius recte monet) perstringere uidetur in eis quae in fine editionis 1579 ad beneuolum lectorem scribit: "*De sententia mea,*" inquit, "*parum securus animi ad scripta redeo quae adhuc penes me sunt et singula solito diligentius perscrutatus offendi* e. q. s."

Atque his si denique addideris quae de suo in 'consarcinando' Commentatore CONSILIO et de sua in transcribendo eodem ex codicibus RATIONE confessus est ea quoque facillime concesseris ita esse comparata, ut ne dicam fidem Commentatoris minuant at certe non augeant. Ergo huc quae pertinent finem huius de Commentatore Cruquiano disquisitionis facere uolui.

In epistula Cruquii ad Cornelium filium sic edocemur: '*Ab initio operum Horatianorum quidquid in scriptis et Blandiniis et aliis offendimus lectu scituque utcumque dignum ad finem usque descripsimus.*' Quod si uerum esset, si descripsisset tantum ad finem usque adnotationes codicum suorum, uel optime de Horatii scholiastis hodie meritus esse iudicandus esset nec quisquam ei '*integram fidem*' quam '*praeter diurnos nocturnosque labores*' sibi ascripsit (in eadem epist.) denegaret. Idem fere dicendum de eis quae p. 327 b scribit: '*lectorem*', inquit, '*monere necesse est hoc a meo more penitus esse alienum ut in ueterum scriptis antiquis quicquam immutandam censeam nisi res urgeat aut inter se scripta non constent nam contra quicquam conari nimis est hominis temerarii, adeo ut mihi potius ignosci si quid non assequor quam poenitendae sententiae culpam deprecari uelim.*' Hisce sane congruunt quae p. 285 a: '*Commentator*', inquit, '*habet* dulcibus alloquiis *etc. non dubito illud esse supositicium; ipsa tamen uerba omittere non potui quia in tribus codicibus sine ulla macula illa adsripta inueni: sed in quarto cod. ad marg. etc. ut uides in Commentatore.*' At non ubique rem sic egisse Cruquium testes sunt locupletissimi praeter alios sat multos locos quos omnes hic ascribere longum est in primis hice: p. 337 a: '.... *cum quasi*', inquit, '*ex promisso ueteribus ex scriptis optima quaeque colligere studeam quo ex studiosorum manibus eiiciam pseudographa Porphyrionis hactenus et Acronis nomine uulgata.*' Hic ergo fatetur se *optima quaeque* colligere ex ueteribus scriptis. Iam utrum uerum dixit? an forte utramque rationem prout res ferebat secutus esse credendus est? P. 233 b: '*habent*

hic commentaria excusa tum Porphyrionis nomine haec uerba: Sua uult intelligi carmina etc., *tum Acronis qui Ennium scribit oriundum de Rhadino seu Rhodino oppido Calabriae; neutram adnotationem comperi in codicibus manuscriptis.'* Et tamen Acronis interpretatio in Commentatore occurrit. Vnde igitur hausit? Adde p. 270 a ubi: '*nugator*', inquit, '*Porphyrio legit hic indispar pro indispariter, nomen pro aduerbio nec dissentiunt ab illo adnotationes scriptae, sic enim habent: Non fuit iste mos umquam lupis aut leonibus nisi feris indispar i. e. indispariter, hoc est, quas natura indispariter creauit. Sed ineptum illud saeculum non tantum admiror errasse, quantum eum qui a paucis hinc annis haec scripta uulgauerit Porphyrionis nomine..... Quanto rectius et Commentator et Glareanus et post hos Lamb. doctissime exponunt: nisi feris in dispar, genus seu animal.*' Ergo non dissentiunt a Porphyrione *adnotationes scriptae* et rectius Commentator interpretatur. Vnde *hic* igitur Commentatorem descripsit?

Neque minus memoratu digna haec sunt: p. 251 b: '*De pedibus autem*', inquit, '*dextris et sinistris quos ponit Commentator dicere aut disserere nulla hic nobis cura est qui illum non interpretari sed corrigere ad ueteres codices instituimus.*' Quibus conuenit si p. 284 a: '*huius autem,*' inquit, '*loci ordinem perturbatiorem restitui in Commentatore*' et p. 246 a: *hic ego lectionem Graecam in Commentatore restitui quoad eius fieri potuit ex characteribus etc.*', et p. 487 b: '*quae quod mihi somnium quoddam uiderentur nolui Commentatori inserere.*' Ergo non *descripsit* adnotationes ad finem usque sed optima conlegit, quae corrupta uiderentur correxit, restituit et pro suo iudicio quaedam omisit. Eodem pertinet quod haud raro ea quae in Commentatore posuit non consentiunt cum eis quae in suis adnotationibus testatur se ex codicibus in Commentatore posuisse; in quibus utris fides habenda sit dubium est.[1*]

1* In uniuersum igitur dicendum erit nil certi de Cruquii in consarcinando Commentatore ratione constare. Atque ego omnino crediderim certam quidem eum sequi uoluisse sed non secutum esse. Ceterum fortasse ueri quid habere potest quod Muetzellius l. l. p. 870 suspicatur, Cru-

Atque haec omnia quo saepius mecum reputaui quoque diutius pensitaui respensitauique eo magis non potui non eandem animo informare sententiam quam secutum esse *Suringarium* supra uidimus: *Commentatorem diligenter et κατὰ πόδα sed et caute usurpandum esse ad Acronis et Porphyrionis scholia emendanda.* Sed sic quoque quot locis uera eorum manus eiusdem beneficio reduci possit nostra editio scholiorum docebit.

Ceterum non id contendo ideo suum Commentatori locum inter scholiastas Horatianos denegandum, et tantum ad illos emendandos esse usurpandum; sed ubique ut tertius quidam et ipse consulendus est; in quo omnium eorum adsensum facile tulerim qui eodem cum Acrone et Porphyrione adcuratius diligentiusque conlato quam multa propria habeat eaque haud raro 'exosculanda' (ut Cruquii uoce utar) sibi persuaserit. Quare et ipsum auctum eis adnotationibus quas passim Cruquius per suas interpretationes ex codicibus in medium tulit in Commentatore omissas denuo edendum esse putauerim, ut omnes facilius quam nunc fieri posse constat, eius copiam sibi facere possint. Fortasse ipsi hanc quoque prouinciam aliquando suscipiemus.

quium ex *uno* codice adnotationes exscripsisse, (num ubique ex eodem incertum esse) easque ex relicuis et emendasse et lacunas explenisse. Vno quidem loco fatetur Cruquius se ita rem egisse: p 264 a: '*eadem*', inquit, '*quae in unis adnott. offendi; ea autem ex aliis tribus quantum potui in Comment. quae desiderabantur apposui*' Sed nolim his adeo multum dare.



SPECIMEN

NOVAE SCHOLIASTARVM EDITIONIS.

CARMEN III 11.

Mercuri. Mercurium lyrae inuocat repertorem ut inspiret sibi modulationem dignam auribus Lydes amicae. Ordo est: Mercuri dic modos quibus Lyde obstinatas aures applicet, nam te magistro docilis Amphion mouit lapides canendo *ACR.*

Mercuri n. t. d. m. Mercurium inuocat lyrae inuentorem petens ut inspiret sibi modulationem dignam auribus Lydes amicae. Ordo est autem: Mercuri dic modos quibus Lyde obstinatas applicet aures *POR.*

1. *docilis.* Doctus; laus doctoris a discipulo iuxta hoc quod M. Tullius Cicero in Rhetoricis dixit:[1*] 'artium magistros afferre laudem siue uituperationem discipulis rursus discipulos magistris.' Vnde hic Mercurius laudatur in Amphione discipulo, cuius nota fabula est; et quidem Amphion citharae cantu et pecudes quarum pastor erat ad se accersere consueuerat et lapides quibus muri sunt extructi thebani, ut Statius:[2*] quo carmine muris Iusserit Amphion tyrios accedere montes *ACR.*

3 obseratas *pro* obstin. *cod. Med.* 6 inuocat *cod.* uocat *Edd.* 10 docilis. Doctus; laus d. a. disc. *haec addidi ex COM. CR. et quae secuntur a primo scholio seiunxi cum quo in libris cohaerent* 11 Tullius *add. ex cod.*

1* *Cic. ? (de Iuuent. I 25, Rhet. ad Her. III 7, 13)* 2* *Stat. Theb. I 9*

nam t. docilis m. m. a. l. c. Nota fabula, Amphionem citharae cantu et pecudes quarum pastor erat ad se arcessiuisse et lapides quibus thebani muri extructi sunt *POR.*

3. *tuque test.* Quia testudinem Mercurius lyram fecit *POR.*

reson. s. Vt: [1*] O b l o q u i t u r m u n e r i s s e p t e m d i s c r i m i n a u o c u m *ACR.*

5. *nec loq.* Laus repertoris ab opere quasi diceret neque loquacem lyram neque gratam fuisse ante quam Mercurii doctrina aptaretur ad cantum *ACR.*

6. *et amica t.* Nam et in sacrificiis fidicines adhiberi consueuerant *ACR.*

et am. t. Fidicines hodieque Romae sacrificiis adhiberi uidemus *POR.*

7. *obstinatas.* Clausas obseratas *ACR.*

applicet a. Velut oblectata iungat et applicet ad audiendum unde est dictum: [2*] a d e o i n t e n e r i s a s s u e s c e r e m u l t u m e s t *ACR.*

9. *equa trima.* Trium annorum et iam difficilis ad domandum *ACR.*

10. *exultim.* Saltim *ACR.*

11. *proteruo.* Importuno nimio *ACR.*

cruda m. Cruda intacta immatura siue intempestiua; sed hic *animo* cruda i. e. crudelis ac per hoc aspera atque horrens maritum *ACR.*

et adhuc p. cruda m. Non est intempestiua sed animo

1 *uerba* nam te docilis — canendo *non pro lemmate habet Fabr. sed scholio quod praecedit statim adiungit ita ut non duo sed unum schol. euadat; minime recte* 2. 3 arcessisse *cod. Pat.* accersisse *rell.* 4 testudinem *cod. Pat.* testudine *rell.* (*fort. scr.* e testudine) ferit (*ut uidetur operarum errore*) *Fabr.* 6 *hoc schol. et in praecedenti* Tyrios acc. m. *om. cod.* 11 *lemmate addito nouum scholion effecimus; cfr. Porphyr.* 13 sacrificiis *cod.* in sacr. *Edd.* 15 *hoc et quae secuntur duo minora schol. om. cod.* obseratas *om. Med.* 16 *hoc schol. in libris cum duobus seqq. sedem mutauit;* unde *et q. s. om cod.* 17 assuescere *Edd.* consuesc. *apud Verg.* 19 trium ann. et *om. cod. Med.* 23 Cruda *post lemma et* hic *post* sed *addidi cfr. Porph.*

1* *Aen. VI 646* 2* *Georg. II 272*

cruda i. e. crudelis ac per hoc aspera atque horrens maritum *POR*.

13. *tu p. tigres c. s. d.* Haec ad testudinem dicuntur siue ad Mercurium *POR*.

ducere. Oblectatione cantus quocumque ieris te sequentes, ut Verg.: [1*] Mulcentem tigres et agentem carmine quercus *ACR*.

15. *cessit i. t. bl. C.* Hypallage cum ipse magis blanditus sit Cerberus *ACR*.

cessit i. t. bl. ianitor a. Receptam de Orpheo fabulam tractat qua refert etiam Cerberum et cetera inferna cantu citharae lenita esse *POR*.

17. 18. *centum.* Finitum pro infinito. — *muniant a. c. eius.* Vt ait Ennius: [2*] ángue uillosí canis *ACR*.

19. *spiritus t.* Aut posuit pro ueneno aut pro sanie cadauerum *ACR*.

atque s. t. s. m. o. tril. Saniem aut cadauerum quibus uescitur intellegi uult, aut pro uenenis posuit quae in illo esse potest fingi, cum etiam serpentibus hirsutus esse fingatur *POR*.

20. *ore trilingui.* Vt: [3*] latratae regna trifauci Personat *ACR*.

21. *quin et Ix.* Vt: [4*] Atque Ixionei uento rota constitit orbis *ACR*.

uultu r. i. Extorquente cithara dulcedine sua quod tormentorum poena non sinebat *ACR*.

quin et I. T. u. r. i. *Inuito uultu risit* intellegas tantam fuisse gratiam cantus ut in tormentis poenae constitutis extorserit tamen risus *POR*.

23. 24. *dum gr. D. p. c. m.* Danai nota fabula est qui fratris Aegypti inuidia quod omnes ille filios, filias hic ha-

11 quae *Edd.* qua *cod.* 12 citharae eius *Edd.* eius *om. cod.* 13 *haec duo schol. om. cod.* 17 saniem autem *libri.* s. aut *corr.* 19 esse *om. Fabr., add. rell.* 20 fingatur *cod.* uideatur *Edd.* 22 *hoc quoque schol. om. cod.* 28 gratia *et deinde* extorsit *errore Fabr.*

1* *Georg. IIII 509* 2* *Ennii tragoed. reliq. fragm. 441 ed. Vahlen* 3* *Aen. VI 417* 4* *Georg. IIII 483*

beret pactis nuptiis filiabus praecepit ut interimerent acceptos sponsos; quod ab omnibus factum est praeterquam ab Hypermestra quae Lynceum fuga data seruauit. Ob hoc scelus apud inferos hac dicuntur poena damnatae ut aquam in pertusum dolium iugiter mitterent. *Puellas* filias dixit *ACR.*

Danai p. Pro eo quod est: Danai filias *POR.*

25. *audiat Lyde sc.* Audiat qua poena damnatae sint quae amantibus crudeles fuerunt *ACR.*

audiat Lyde sc. a. n. Mira opportunitate de excessu excessum repperit, et est sensus: Audiat Lyde qua poena damnatae sint quae crudeles amatoribus fuerunt *POR.*

26. *inane lymphae dol. f. p. i. Inane dolium* ita [autem] figurauit ut e contrario *plenum uas;* et *inane illius rei* dicitur, ut et Terentius: uini plenum *POR.*

28. *seraque f.* Vt:[1*] Distulit in seram commissa piacula mortem *ACR.*

seraq. f. Quare *sera* dixerit ipse ex subiectis ostendit *POR.*

29. *manent.* Expectant. — *etiam sub O.* Non solum damnantur in aquae penuria sed etiam infernali cruciantur igni *ACR.*

quae manent c. e. s. O. imp. n. q. p. m. Bona παράλειψις per quam impensior affectio dicentis exprimitur *POR.*

32. *perdere f.* Non ad naturam ferri relatum est epitheton sed ad earum animum quae dura ac crudeli mente hoc ausae sunt, ut:[2*] duris genuit te cautibus horrens Caucasus *ACR.*

duro perdere f. Non ad naturam ferri relatum est epi-

1 hic haberet filias *Edd., ut nos cod.* 3 Hypermestra *libri, (qua de cfr. Hygini fab. 168 ed. Munker) et paulo post* Linum *quod correximus* 5 *quae post hoc secuntur quattuor schol., in Edd. turbato ordine conlocata, om cod. Sunt autem haec:* Puellas] Filias dixit. — Seraq fata.] Vt: distulit etc. — Perdere ferro] Occidere. — Vna] Hypermestra. *Duo priora et quartum sedibus suis reddidimus tertium ne recepimus quidem* 7 sunt *libri male* 10 repperit *cod.* repetit *Edd* 11 sunt *pro* sint *male Fabr.* 12 inane dolium *post lemma add. ex cod. contra* autem *non genuinum puto* 22 panalensis *cod.* paralipsis *Med. Pat.* πα ἀλειψις *Fabr.*

1* *Aen. VI 569* 2* *Aen. IIII 366*

theton *duro* sed ad animum earum, quae dura et crudeli mente in eos usae sunt *POR.*

33. *una.* Hypermestra. — *face nupt. d.* Positum est hoc pro affectionis insigni tamquam maius praemium feminis non sit. Cum facibus enim nuptiae fiebant uesperi apud antiquos *ACR.*

una de multis f. n. d. Hypermestram dicit quae Lynceum maritum seruauit et bene pro praesenti affectione illatum: *face nuptiali digna* tamquam maius praemium feminis non sit *POR.*

35. 36. *et in o. u. n. ae.* Virginem pro muliere posuit *ACR.*

et in o. u. n. ae. Propter pietatem scilicet quam marito praestitit *POR.*

38. *ne longus t. s.* Id est, *mors,* ut:[1*]

Et consanguineus leti sopor *ACR.*

41. *quae uelut nactae.* Ordo est: Quae uelut leaenae nactae uitulos eheu lacerant singulos; et est pulcherrima comparatio *ACR.*

quae uelut n. u. l. Velut leaenae uitulos nactae *POR.*

45. *me pater s. oneret cat.* Extrinsecus audiendum: *si putat* uel tale quid *me pater,* ut sit: Si putat saeuis catenis oneret pro hoc facto *POR.*

1 dira *Edd.* dura *cod.* 7 Hypermestram *cod. Med. Fabr. (cfr. ad Acron. uers. 23)* Hypermenstra *(sic) Pat.* 7. 8. Linon *Edd.* clyngeum *cod. unde et hic scripsimus* Lynceum 8 et uidetur praesenti *Fabr.* et uiri praesenti *Med. Pat.* et bene pro praes. *cod.* 9 *uerba* face nupt. d. *Fabr. in nouo lemmate ponit* 11 *hoc schol. et quae secuntur duo:* 38 ne longus etc. et 43 mollior etc. *(hoc non suo loco positum) om. cod.* 18 eheu *Med.* heheu *cod.* heu heu *Fabr.* 19 *hic uidentur excidisse quae ex Acrone scholiasta Persii III 56 tradit:* Acron, inquit, tradit quod in porticu quondam Apollinis palatini fuerint L Danaidum effigies et contra eas sub diuo totidem equestres filiorum Aegypti. *Ad rem cfr. O. Iahn. (Archäologische Aufsätze p. 23)* 20 *hoc schol. om. Fabr., contra lemma tantum exhibent Med. Pat. Nos ex cod. descripsimus; sed fort. mutilum est* 22 tale quid me putet ut si putat *sic Edd., ut nos cod. nisi quod* sit *addidimus; sed ne sic quidem sententia omni ex parte perpicua*

1* *Aen. VI 278*